DE COMPEN DIOSA RATIONE QVA ditari quis poſsit familiaris Dialogus, quàmplurimis ſcitu dignis dogmatibus affatim refertus, authore Aimaro Falconeo Thautano.

ἐκ πόνου ὁ βίος.

Sic ars chalcographi ſaxea monſtra domat:



Sic labor alatum te ſuper aſtra feret.

Hunc legant, quicunque ditari cupiunt.

LVGDVNI,
Apud Mathiam Bonhomme.
1542

1053
34.4.A.16
BIBLIOTECA NAZ. ROM. VITT. EMANUELE

AIMARVS FAL CONEVS THAVTANVS MAGISTRATIBVS, ATQVE OPTIMATIBVS LVGDV-NENSIS VRBIS S. P. D.

INTER *maximas illas, quibus clariſsima ueſtra ciuitas abundat, opes, uiri præſtantiſsimi, necnō precioſiſsimas toto ex orbe aduectas merces, quæ apud uos mira quadam ſpecie undiq; redundare cōſpiciūtur, hoc unum ad eximij ſplendoris optatiſsimæq; felicitatis cumulum deeſſe animaduerti, homines & quidē plurimos iſthic degere ac uerſari, qui ſiue ob id forte quòd ipſi nō admodùm multa poſ-*

ſidēt, & aliorum collatione ualde tenues cenſentur, ſiue quòd iniqua æſtimatiõe copiā, niſi ea quàm maximè excellat, inopiā reputāt, quotidianis ſermonibus palàm de paupertate queruntur, ſuæq́; conditionis ſtatum præpoſtero & indiſcreto iudicio paſſim deteſtantur. Præterea nonnullos noui, qui, ut diuites effici poſſint, dies ac noctes penè inſomnes ducunt, & mortiferis curis, grauiſſimisq́; ſolicitudinibus iugiter ſeſe macerare non ceſſant: nec dubium, quin horum ipſorum perpetua inquietudine cæteri ciues non mediocriter infeſtētur, atq́; omniū eiuſdē urbis incolarum tranquillitas uehementer interturbetur. Quocirca improbos illorum miſeratus labores, & quod ueſtrā urbem (per quam haud dubiè magnum toti Galliæ decus accedit) egregijs quibuſq́; dotibus

magis ac magis in dies cupio reddi illuſtriorē: ſtatui quàmprimùm optima quædam in hāc rem ac indubitata, nuſquamq́; pœnitenda conſilia uerbo ſcriptoq́; tradere, & omnibus ditari cupientibus compendioſiſsimam ad id uiam demonſtrare, arcanum profectò ſingulare, ſi quis rem uti meretur diligenter expendat accuratiusq́; meditetur: neq; enim tam auribus quàm animis ſecreta hæc excipiēda ſunt. Quòd ſi fortè quiſquam nos hæc ipſa noſtris Delphineis hominibus minime antehac prodidiſſe miretur, huic reſponſum eſſe uelim, proceres quidem noſtros, & eos qui nobilitatis inſignibus titulisq́; præfulgent, arma quàm diuitias ſemper pluris feciſſe: maiorem nanq́; diſciplinæ militaris cum paupertate, quàm cum opibus affinitatem eſſe neſcio quo pacto opinan-

tur. Certè ipſa rerū tenuitas ad militandum habilior atque expeditior eſſe uidetur: quanquam meo iudicio copia & opulētia inſtructior habeatur. Rusticam uerò huiuſce gentis plebeculam quàm maximè agriculturæ eſſe deditam nemo ignorat, Ideoq; uti ferme ubiq; hoc hominum genus ſolet paruo & exiguo manere contentam. Cæterùm quòd ad reliquæ multitudinis conditionem attinet, profectò hac in prouincia homines quāplurimi frugaliorem uiuendi formam ſectantur: quò fit, ut in rerum appetentia modeſtiores eſſe uideantur. Cernuntur & hic nonnulli, quorum pectora, quantum opinor, nullæ unquam curæ, nullæq; ſolicitudines obſedere: Quidam etiam apud nos iuuenili ætate florētes hoc ſunt ingenio, ut eam quæ ad paupertatem, quàm illam quæ ad

diuitias ducit uiam multò cupidius ample ctantur: quæ ſanè res neque doctorem, ne que doctrinam ullam requirit. Enimuero ubiq; ipſum per ſe ſatis lubricum eſt ad paupertatem iter. Porrò utcunq; res habeat, nos illis tantùm quorum animos facultatum tenuitas excruciat, & quibus paupertatis ſtatus grauior eſt opitulari, illorumq; male affectis mentibus mederi propoſuimus. Quod quantũ publicæ utilitati profuturum ſit, poſtmodũ effectus ipſe docebit. Per uos igitur liceat, oro, in ipſius urbis ueſtræ compitis publicè propoſitis de more ſchedulis edicere & denunciare, hîc eſſe uirum, qui compẽdioſiſsimam qua quiſque ditari poteſt rationem eius rei ſtudioſis omnibus ſe traditurum atque oſtenſurum optima fide pollicetur. Ego certe Deo optimo maximo

*fauente futurum ſpero, ut nemo nõ animæ-
quior factus hinc abſcedat, nec
quiſquam, niſi hilari fronte at-
que bene compoſita men-
te, à me dimitta-
tur. Valete
Felices.*

MAGISTRATVS

Lugduni Aimaro Falconeo Thau-tano Antonianæ apud Barren-ſes domus præceptori

S. P. D.

OPTIMIS ET SALVTA*ribus uotis tuis aſpirēt faueātq; ſuperi, uenerā de atq; Religioſiſſime pater. Quid enim eſt quod ad publicam utilitatem uel melius, uel optabilius afferri poſſit, quàm omnibus, quos paupertas angit, compendioſam qua diteſcere ualeant rationem aperire, gratisq; demōſtrare? Certe quàm tu nihil uanū polliceri ſoleas, præter alia erudita tua opera editus per te nuper de exhilaratione animi, quem metus mortis contriſtat libellus, & quidē pijſſimus egre-*

gie declarat, ſimulq́; idipſum dialogi decem, quos iampridem de tuta fidelium nauigatiōe inter noxias hæreſum fluctuationes publicæ utilitati conſecraſti, apertiſſime proteſtantur. Perge igitur uir ornatiſsime, & quod inſtituiſti feliciter proſequere. Nos autem, ne quid ipſe graueris, dabimus operam, ut & publice & priuatim cūctis innoteſcat ubi & apud quē aduerſus erumnoſæ paupertatis amaritudinē præſentanea remedia inueniātur atq́; exhibeantur.

Vale.

DE RATIONE QVA DITESCERE QVIS POSSIT DIALOGVS,

AVTHORE *Aimar. Falco. Thautano.*

INTERLOCVTORES.

Chryſophilus. Thautanus.



HRYSOPHIL. Tu'ne ſemper in hac opaca & ſylueſtri ualle, ſolitarius Thautane philoſophaberis? THAVTANVS. Non tam fortè ſolitarius ſum, quàm ipſe putas, optime Chryſophile. Chryſ. Ego hîc ne muſcā quidē ullā uideo quæ te comitetur. Th.

Valeant muſcæ & crabrones, culíceſq́ꝫ: certè is cum quo Deus manet, minimè ſolus eſt: neque ille dulciſsimæ ſocietatis ſolatio caret, qui in bonorum autorum eccleſiaſticorumq́ꝫ ſcriptorum contubernio iugiter commoratur. Chryſ. Hoc profectò nequaquam ſpernendum eſt ſodalitium: ſed tamen ſi quid negotij emergat, uel ſi qua re cuiquam opus ſit, magis præſentaneum inuenitur mortalium inter ſe ſubſidium: alij enim alijs protinus adſunt, ſibiq́ꝫ inuicem, quum res expoſtulat, promptiſsimè opitulantur. At uerò hi qui æthereas incolunt ſedes hominum hîc uerſantium gemitus & ſuſpiria tardius exaudiunt: ſæpe etiam, quod ipſe ueriſsimè teſtari poſſum, nullis miſerorum ſupplicationibus, nullis uotis, nulliſq́ꝫ etiã muneribus flectuntur: & quanquam ualidis clamoribus, lachrymoſiſq́ꝫ precibus fatigati inexorabiles manent, nec ullum benignę aſpirationis ſignum prætendere dignantur. Thau. Adeo'ne tibi ali-

quando

quando duri cœlites fuere? Chryſ. Imò certè pluſquam dicere uel referre queam duriores. Itaque non admodum peſsimè olim prouidiſſe uidentur, qui cauebant, ne in ſuis delubris Dei ſimulachrum ex marmore uel duriore aliqua materia effingeretur: quòd exiſtimarent ea de cauſa fieri, ut Deus ipſe durus illis eſſet & immitis: In quã mehercle calamitatẽ ipſe me incidiſſe animaduerto. Th. O bone, hæc mera deliramenta ſunt: enimuero æternus ille parens iuſta petentibus nuſquam aures occludit. Chr. Quid iuſtius, quàm ubi egeſtas, reiꝗ; familiaris inopia premit, aurum, opes, pecuniam quibus iuuari homo poſsit à ſuperis petere? Th. Tu igitur, quantum audio, pro auro, pecunia & opibus Deo ſupplicabas. Chr. Quid ni, neque enim diſsimulatione uti oportet apud eum qui humanas cogitationes penitus intelligit. Th. Ingenuum eſt liberè proferre quod ſentias; ſed ſcire cupio, præſcripta'ne aliqua precum formu-

la uſus fueris, qua facilius Deum ipſum flecti moueriq́ poſſe ſperares? Chry. Minimè gentium: ſola nãque dominica oratione uti ſoleo: Hæc enim à noſtris theologis una omnium ad quæuis obtinenda longè efficaciſsima eſſe prædicatur. Th. Ipſa quidem per ſe ſummè efficax eſſe non ambigitur. Atqui conſtat per hãc neque aurum, neque argentum, ſed panẽ tantummodo ab ipſo æterno beneficẽtiſſimoq́ parente poſtulari. Chr. Non mihi ſolùm cum piſtoribus erat negotium, neque pane tantum, ſed alijs identidem quamplurimis rebus indigebam, proinde accommodatius uidebatur compendioſo uerbo pecuniã petere: Etenim qui hanc habet, & panem, & uinum, & reliqua omnia habet: quandoquidem in una ea rerum omnium eſt ſupplementum. Th. Ingenioſo proculdubio ac prouido in hanc rem utebaris commento. Verùm mea ſententia multò conſultius Rex ille Hieroſolymitanus cum Deo tranſegiſſe

putandus eſt, qui externis rebus contem-
ptis ſapientiam expetijt, ſibiq́; donari po-
ſtulauit; qua ex re aſſequutus eſt, ut non
modò idipſum pro quo ſupplicarat, ue-
rum etiam terrenarum facultatum immē
ſam copiam diuina largitate ſuſciperet.
Chr. Suo quiſque ſenſu & affectu ducitur
& quid ſibi magis conducat ſagaciore
obtutu conſiderat. Ego certè mi Thauta-
ne, ut animi mei ſecretum tibi ſimpliciter
aperiā, ab ineūte ætate ſemper auri copiā
ſummopere exoptaui, & quāmaximā ra
diātis illius metalli uim poſsidere deſide-
raui. Thau. Ergo tu quemadmodum
Craſſus ille Romanus aurum ſitis. Chr.
Profectò pluſquam ullum nectaris, uel
ambroſiæ liquorem: neq; inficiabor hāc
mihi præcipuam eſſe cogitationem, atq;
hanc mihi iugiter ante oculos obuerſari
curam, ut quoquò pacto ditari queam:
quinetiam dum per proximam ſyluā huc
ueniens iter facerem, querno uiſco procul
conſpecto, eoq; ſubcroceo ſtatim memo-

ria ſubijt prædiuitis illius rami, quem in Auerni luco Aeneas quondam inueniſſe dicitur, atque ita mecum ipſe intenta men te loquebar. O' ſi nunc ſe nobis ille aureus arbore ramus oſtendat nemore in tanto. Thau. Num ut ipſe Aeneas ad inferos proficiſci & rutilũ illud Proſerpinæ mu- nus offerre cogitabas? Chr. nequaquam, ſed auro ipſo potiri cupiebã. Thau. For- tè quid de auricomo & bracteato ipſo fœ tu Virgilius prædicet minimè conſidera- bas. Chr. Quidnam rex ille poëtarum canit? Th. Audies: Nanque ille uolens, inquit, facilisq; ſequetur: ſi te fata uocant: aliter nec uiribus ullis uincere, nec duro poteris conuellere ferro. Chr. Hæc ipſa eſt totius noſtræ querelæ materia: quan- doquidem in parandis opibus nonnulli ſupramodum felices ac bene fortunati eſ ſe cernuntur, contrà alij, ut ego ipſe, adeo infelices, ut omnibus in rebus, locisq; & temporibus illorũ uotis numina omnia obſtinatiſsimè aduerſentur; nec quid cau-

ſæ ſit, aut quanam id ratione contingat, ulla poſſum mentis coniectura diſcerne-re: quæ profectò res ſæpè mihi bilem mouet, meq; in præſentia uehementer angit atque contriſtat. Th. Nihil iſta te Chry-ſophile mouerent, ſi uel modeſtius cadu-ca hæc ſectareris, uel, quod ſatius foret, ea ipſa fortiter contemneres. Chr. Res altius pectori infixa eſt, quàm ut illam excute-re facilè queam. Thau. Dignus es certè cui id idem accidat quod olim Lydio cui-dam regi, poëtæ contigiſſe fabulantur. Chr. Quid habet fabula? Th. Lydius ille quum inexplebilem auri famem pate-retur, precibus à Baccho contendiſſe dici-tur, ut quicquid tetigiſſet, in aurum uerte-retur: quo impetrato edulia omnia ſimul atque ab illo tacta fuerant, mox in metalli ſpeciem transformata rigebant. Proinde quum nihil ex his mandere poſſet, tandē inedia confectus meritas cupiditatis ſuæ pœnas dedit. Chr. Ille hercle magna in optando lapſus eſt imprudentia. Etenim

qui ſiti laborat, ad ſatietatem potum pe-
tere, non ſe totum aquis immergere de-
bet. Th. Vbi ſana ſunt præcordia, facilè
ſitis extinguitur. Cæterùm in terrenis re-
bus appetendis modum ſeruare, legiti-
mamq́ menſuram tenere profectò diffi-
cilimũ. Heu quid non mortalia pectora
cogit auri ſacra fames? Dij boni quæ de-
mẽtia, quanto præſtantius foret Cratetẽ
illum Thebanum imitari, qui ut liberius
philoſopharetur, magnum auri pondus
abieciſſe legitur. Chr. ne quid mentiar,
ego ditari mallem, quàm uacuo hunc in
modum marſupio philoſophari. Th.
Quid obſtat quominùs ipſe diteris? pro
fectò ſatis compendioſa eſt ad ditẽſcẽdũ
uia: ſi quis ſapientibus auſcultare illorũq́
monitis ac præceptionibus obtemperare
uelit. Ch. Huiuſce compẽdij ſecretũ iam
multos annos terra mariq́ requiro, ac
ſemper longius fugiẽtem uenari & per-
ſequi non ceſſo, ſed incaſſum hactenus o-
mnia. Certè ob hanc unam rem multas

iamprid ẽlongè lateq́ʒ regiones peragra
ui,& in cõquirẽdis artis huius magiſtris
curam omnem ac ſolicitudinẽ impendens
bonam ætatis partem & quã nõ medio-
crem habebam ſubſtãtiam perditiſsimè
cõſumpſi:furor autem eſt,ut quidam ait,
poſt cętera perdere naulum. Th. Vix cre
dibilie eſt te tot exanclatis laboribus nõ
aliquid tandem profeciſſe: longis namq́ʒ
peregrinationibus homines prudẽtiores
fieri,& qui natura rudiores ſunt expoliri
conſueuerunt. Chr. An ipſe prudentior
uel expolitior redierim, neſcio: certè ni-
hil illinc diuitiarum me retuliſſe ſanctiſsi
mo iureiurando cõfirmo,quin etiã haud
dubiè maioribus quàmprius ærũnis me
immerſum ſentio probeq́ʒ agnoſco. Th.
Nõ ſatis cõiectura aſſequi ualeo quæ res
ſucceſſum impediuerit: breuiſſimo nãq́ʒ
tramite atq́ʒ expediſsimo calle unun-
quemq́ʒ diuitẽ fieri poſſe teſtatiſsimũ eſt.
Ch. Ne me quæſo futilibus ludas uerbis:
nihil, mihi crede, ante hac intẽtatũ reliqui,

nullum non lapidem moui, omnia probaui: & quicquid eſt reru͂ expertus ſum. Etquidem multa ab initio optimæ ſpei plena approbaui, immenſamq́; utilitatis ſpeciem præ ſe ferre uidebantur, at demu͂ fumo ſimilima ſic euaneſcebant, ut nihil præter pœnitentiam & mœrorem mihi relinquere͂t. Th. nihil tale uereri oportet, ubi prudenti conſilio res agitur ac promouetur. Cęterùm quibus erroribus, quibus'ue difficultatibus implicitus, ſiue præpeditus fueris, ni fortè moleſta ſit narratio, uehementer abs te audire cupio.

CHRYSOPHILVS. Rem omnem tibi paucis enarrabo: longa quidem eſt errorum ſeries, ſi ab initio cuncta recenſere, & quæ geſta ſunt omnia dicendo perſequi uelim: uerùm breuitati conſulendum eſt in re præſertim cuius recordatio per ſe mœſtiſsima eſt recitanti. Ordiar in primis

ab eo quod me uix tunc adoleſcẽtiæ annos egreſſo contigit: iam enim tunc animus opum ac diuitiarum cupiditate ſuccenſus mirum in modũ ardebat, & nonnullorum exemplo qui breui temporis curriculo minimoq́;, ut uidebatur, negocio ex pauperibus diuites, & ex obſcuris clariſsimi effecti fuerant, uehementer extimulabatur, Itaq; die nocteq; huic uni rei intentus ſemper qua ratione, quo'ue ſtudio emergere, aurumq́; & pecuniam congregare ualerem meditabar: planè tunc fama referente audieram non procul à Lugduno celeberrimo Galliarũ emporio montem eſſe, qui uulgò aureus nuncupatur; quam equidem nomenclaturam cùm non fruſtra impoſitam eſſe ſtulta perſuaſione exiſtimaſſem, comparatis extemplò quæ ad excindendos prominentes, ut rebar, auri ſcopulos neceſſaria uidebantur, illuc ſtatim profectus ſum: luſtratoq́; undiq; promontorio cùm nullum uſquam auri ueſtigium appareret, ſenem

quendam probum meo iudicio uirum loci incolam ſiſcitari cœpi,num is mons eſſet quem aureum homines uocitabant: quo rem ita habere confirmante,mox aduentus mei cauſam ſecretò illi expoſui, eaq́ꝫ quæ attuleram machinamenta & ferrea iuſtrumenta oſtendi,orans ut hac in re fautor mihi adeſſe uellet,præmia,peracto negocio, non contẽnenda à me recepturus.Porrò ille ut hæc audiuit,et ferramenta excindendis auri glebis maſsisq́ꝫ accõmodata perſpexit,meam uehementer admiratur demẽtiam,clanculum ſubriſit.Cæterum re ipſa perbellè diſsimulata,placido uultu me ad ſuam deducẽs domum ſtatim in ipſo aditu & ueſtibulo protenſa manu uomeres,aratra,ligones, bidentes,falces,raſtros,aliamq́ꝫ ruſticam ſupellectilem demonſtrans ait,ijs ijs amãtiſsime frater inſtrumentis,non tuis iſtis ſcalpris dolabriſq́ꝫ ex hac tellure aurum, uel ipſo auro precioſiores ſegetes eruuntur;quo audito,rubore perfuſus uehemẽ-

ter erubeſcere,meumq; ipſius errorem tacitus reprehendere cœpi.Quid enim ad hoc dicerem,uel quid homini reſponderem penitus ignorabam. Tum uerò, ut ille erat natura perhumanus & comis,ad alia quædam ſermonem conuertens, ſub patula quæ pro foribus ſtabat locũq; latè inumbrabat quercu, me ſecum conſidere iuſsit,deinde uxore ac domeſticis quibuſdam ad ſe uocatis menſam inſterni, & ruſticas dapes uinũq; afferri mandauit:qđ cũ properè factũ eſſet,fortè cõtigit ut tunc neſcio q̃s uiator & peregrinus philoſophico propè habitu illac iter faceret: qui cũ labore & æſtu uehemẽti fatigatus eſſet,frigidã ex fonte ad potũ popoſcit.Et ſenex pro innata ſibi humanitate illũ propius accedere,& paululũ umbrã captare iuſſit.Ille uerò accedẽs cõſedit,deinde loci amœnitatẽ cõtẽplatus, collaudata hoſpitis charitate ijs me uerbis affari cœpit:bonus inquit ille Abraamus patriarcha ſub quercu ſuũ quondam tabernaculum fixit,

illiuſq; umbra fruebatur, nec non eo diuerſorio utebatur, in quo etiam angelos excepiſſe memoratur; quãdoquidẽ hi nõ ædificij ſplendorẽ, ſed hoſpitis uirtutẽ requirebant. Ibidẽ uerò & nobis uſu euenit; querna namq; fronde cõtegimur, & optimum ſimul hoſpitem nacti ſumus, atq; hunc quidem ipſum, ut uidetur Machario anachorita AEgyptio longè commodiorem: quippe olim cùm id ipſum Machariũ Enagrius æſtu ac ſiti laboreq; cõfectus ueniſſet, aquãq; ad bibẽdũ poſtulaſſet, ille fertur rñdiſſe: frater mi ſufficiat tibi umbra; duplici namque ſimul uoluptate frui monacho non licet: at nos huius noſtri hoſpitis benignitate & humanitate non modò accommodatiſsimum umbraculum, ſed etiam aquam, inſuper & uinum, obſoniaq; affatim habemus. Tum uerò idem ipſe imò ex pectore ſuſpirans exclamare cœpit,

O fortunatos nimium ſua ſi bona norint

Agricolas

Agricolas, quibus ipſa procul diſcordibus armis,
Fūdit humo facilē uictū iuſtiſsima tellus.
Si non ingentem foribus domus alta ſuperbis
Manè ſalutantum totis uomit ædibus undam,
Nec uarios inhiant pulchra teſtudine poſtes,
Illuſaſq; auro ueſtes Ephyreiaq; æra,
Alba nec Aſſyrio fucatur lana ueneno,
Nec caſia liquidi corrūpitur uſus oliui:
At ſecura quies, & neſcia fallere uita.

Subinde uerò nonnullis interpoſitis ſermonibus manibuſq; ac facie unda limpidiſsima lotis, ille iterum ita cœpit:

Rura mihi & rigui placeant in uallibus amnes.

Flumina amem, ſyluaſq; inglorius, ô, ubi campi,
Sperchiuſq;, & uirginibus bacchata lacænis
Tayeta : ô, qui me gelidis in uallibus Æmi
Siſtat, & ingẽti ramorũ protegat umbra.
Felix ꝗ potuit rerũ cognoſcere cauſas,
Atq; metus omneis, & inexorabile fatũ
Subiecit pedibus, ſtrepitũq; Acherontis auari.
Illum nõ populi faſces, nõ purpura regũ
Flexit, et īfidos agitã: diſcordia fratres.
Aut cõiurato deſcẽdẽs dacus ab Iſtro:
Non res Romanæ perituraq; regna, neq; ille
Aut doluit miſerãs inopem, aut inuidit habenti.
Quos rami fructus, quos ipſa uolẽtia rura

Sponte tulêre ſua, carpſit nec ferrea iura,
Inſanumq́ forum, aut populi tabularia uidit.
Solicitant alij remis freta cæca, ruuntq́
Iu ferrum: penetrant aulas, & limina regum.
Hic petit excidijs urbem, miſeroſq́ penates,
Vt gemina bibat et ſarrano dormiat Oſtro.
Condit opes alius, defoſſoq́ incubat auro.
Hic ſtupet attonitus roſtris: hunc plauſus biantem
Per cuneos (geminatus enim) plebiſq́ patrũq́
Corripuit, gaudent perfuſi ſanguine fratrũ:
Exilioq́ domos, & dulcia limina mutant,
Atq́ alio patriam quærunt ſub ſole iacẽtẽ.
Agricola incuruo terram dimouit aratro:
Hinc ãni labor, hĩc patriã, paruosq́ nepotes
Suſtinet: hinc armẽta boum meritosq́ iuuẽcos.
Nec requies, quin aut pomis exuberet annus:
Aut fœtu pecorũ, aut cerealis mergite culmi
Prouentuq́ oneret ſulcos, atq́ horrea uincat.

Hæc quidem illo pronunciante, ego ma-
gna attentione cuncta audiebam, & eo-
rum quæ dicta fuerant rationem mecum
ipſe tacitus mente uerſabam, parumq; ab-
erat, quin ijs adductus hoc ipſum uitæ ge
nus ambitione, atq; habēdi cupiditate de-
poſita amplectēdum mihi perſuaderem.
Sanè cùm multa inter nos ſuper hac re diſ
ſererentur, atq; ego dicerem permultos
haud quaquam conceſſuros, ut hi qui pe-
cuniam affatim non habeant inter felices
adnumerentur, utq; quiſpiā felix eſſe cen-
ſeatur, niſi is cū proſpera ualitudine etiā
bene nūmatus exiſtat, pecuniamq; copio
ſam poſſideat: ille intulit, ô quàm me-
morabilem edidit uocem optimi quon-
dam uiri Thobiæ uxor, quū flens ac do-
lens aiebat, Nūquam fuiſſet ipſa pecunia,
ꝓ qua miſiſti filiū nr̄m: ſufficiebat nobis
paupṫas noſtra, ut diuitias cōputaremus
hoc quod uidebamus eū: ꝑfectò qcqd im
periti homines ſibi perſuadeāt, ſumma in-
ſania eſt felicitatem ex pecunia metiri, &
æſtimare.

æſtimare. Proinde egregiæ uirtutis diui-
niq; uir ingenij Plato operæprecium
cenſebat in bene cōſtituta republica auri
uel argenti nummum non eſſe, neq; quæ-
ſtum ullum apud bonos uiros proban-
dū, niſi qui ex agricultura proficiſceretur,
ſed & ex reipublicæ commodo fore exi-
ſtimabat, ſi priuato cuiquam aurum ar-
gentum'ue habere minimè liceret: ubi ue-
rò ob commercia cum exteris habenda
opus eſſet pecunia, illam ex publico æra-
rio deſumēdā arbitrabat: & demū pere-
grinatiōe uel legatiōe expleta quod ſuper
eſſet reſtituēdū. Ad hęc etiā memorabat
Lycurgum apud Lacedæmonios legisla
torem eximium omnem auream atq; ar-
genteam pecuniam in ea republica irri-
tā reddidiſſe, & ut ferreo uterētur nūmiſ
mate imperaſſe, & eo quidem dum igni-
tum eſſet aceti liquore macerato, ut ad
alias res aliumq; uſum inutile redderetur.
Præterea edixiſſe, ut quò plus ineſſet ma
teriæ, minoris precij ſignum imprimere-

tur,

tur,atq; ita & occultandi facultatē,& poſſidendi coaceruandiq; uoluptatē repreſsiſſe. Ea uerò prouidentia plurima iniuriarum genera preſcripta, multaq; uirtutum ſemina uniuerſo Laconico populo inſerta fuiſſe dicebat, ſimulq; per id cupiditatum reſtincto comite magnā urbi illi tranquillitatem partam extitiſſe referebat. Hęc & alia huiuſmodi narrante illo, ego productis, quibus poteram, rationibus pecunię uſum mortalibus omnibus quam maximè neceſſarium eſſe aſtruebam, ſententiāq; illam imprimis laudibus offerebam,

Quiſquis habet nummos ſecunda nauigat
aura,
Fortunamq; ſuo temperat arbitrio.

Ad quod ille, hoc inquit ipſum Aurias ligur imperatorię claſsis pręfectus uerū eſſe negat, ſed neq; hoc quidē ſi reuiuiſcerēt probaturi eſſent olim potētiſsimi reges Crœſus, Xerxes, Darius, Priamus, Polydorus, Mithridates, Craſſus, et qui noſtra

ætate Inſubribus imperauit, Ludouicus Sfortia. Namq; ij tametſi auro abundarent, ingruentes tamen tẽpeſtates diroſq; caſus auertere minimè potuerunt. Præterea certo certius eſt q̃ plurimis mortalibus ſuas opes propriamq; pecuniã exitij cauſam attuliſſe. Cũq; ego dicerẽ hac in re non ipſam pecuniã, ſed hominũ potius improbitatẽ eſſe culpãdã, ille ſic cõtra aiebat. Certè auri cauſa homines hominibus inſidiãtur: & pleriq; ij qui alios ſpoliarũt, & ipſi poſtmodũ diuino iudicio ab alijs ſpoliãtur: ſed tamẽ & ipſi pecunię quædã interdũ infidelitas, ſiue latẽs quoddã uitiũ ineſſe deprehẽditur: quo fit ut ipſa repẽte dilabatur, nec eo cõtẽta magnã inſuper reliquę ſubſtãtię pariat ruinã: q̃ppe frequẽtiſſimis caſibus adnotatũ eſt, ſi quãdo ea quę pijs ſacris ue uſibus deſtinata eſt pecunia, ꝓphanę gazæ admiſceat̃, uel malè parta nepharieq; collecta alteri cõiũgatur, plerũq; hoc ipſum magnã parturire infelicitatẽ, et pro lucro ꝑniciẽ afferri: quã ad rẽ

mirum in modum cæca eſt mortalitas: huic profectò uariæ principibus uiris calamitates dum ſceptris ac diadematibus omnia licere putant: hinc copiarum profligationes & funeſtæ clades, necnon luctuoſæ captiuitates, dum quoquomodo collectis pecunijs bella geruntur: hinc etiã frequentes illuſtrium domorum, & nobilium familiarum euerſiones, dum, unde habeat quærit nemo, ſed oportet habere. Hinc deniq; aliæ innumeræ parumq; à multis animaduerſæ calamitates, dum inter ſanctum & profanum, inter legitimũ & iniquum, inter publicum & priuatũ mortales nihil diſcernunt, nihilq; intereſſe putant. Ad hæc ego, mirum inquam uidetur, quòd ſeruatoris ſignum pecuniæ impreſſum nõ omnem depellat infelicitatẽ: imò, ait ille, iuſtum eſt ut qui auidius crucem appetunt, tãdem ipſi crucientur. Atqui ego inquam hoc ſolo crucior, quòd quemadmodum ipſe uellem nõ poſſum bellè cruciari. Iis atq; alijs eiuſmodi con-

fabulationibus penè conſumpto die cùm adueſperaſceret, actis hoſpiti gratijs, utrinque diſceſſum eſt. Porrò cũ ipſe poſtea in urbem redijſſem, eodẽ quo prius animo tenuitatẽ omnẽ ueluti ſordidam ac uilem deſpectui habens, omnia undiquaque explorare, uariaque conſilia mẽte agitare cœpi, ut ſi qua fortè uſpiam inſignis ſe offerret lucri uel prædæ occaſio, in hanc toto pectore incumberẽ. Interea uerò loci fortè deliri cuiuſdã ſenis familiaritatẽ haud ſatis auſpicatò nactus ſolicitudinem meã illi aperui. Ille uerò huic meo malo aſtronomicis imaginibus præſidiũ afferri poſſe multis, ut uidebatur, philoſophicis rationibus in medium adductis affirmabat: itaque improbis illius ſuaſionibus incitatus ad aucupandos proſperos ſucceſſus, & fortunæ fauorem mihi conciliandum cõmentitiam ipſius fortunæ effigiem certo ſyderum aſpectu, & ſuperſtitioſa neſcio qua obſeruatione protinus curaui inſcupẽdã: quippe ille futurum aiebat, ut quiſ-

quis imaginē ipſam collo appēſam geſtaſſet, is propitiā ubiq; fortunā, & lætos omnibus in rebus ſucceſſus dubio procul haberet. Enimuero nōnullos propria naturæ cōditiōe uſq; adeo bene natos eſſe, ut ipſis quoq; dormiētibus hęreditates, opes honoresq; ultrò obueniāt: alios uerò nō eādē à natura felicitatē aſſequutos, ſed tamē ingenio & arte mirā à cęleſtibus uim ſibi cōparare poſſe aſſerebat: Th. Hic ſingularē audio captādę felicitatis rationē: ſed qd tādē ea res tētata pepererit, audire geſtio. Chr. Ne miſerā quidē muſcā. Th. Multū ne tēpus hac perſuaſiōe obſeſſam mētē tu liſti? Ch. Bienniū fermè totū. Th. unde poſt modùm reſipiſcētia? Ch. uir quidā bonus mihiq; amiciſsimus cū deprehēdiſſet me eiuſmodi ſuperſtitiōe uanaq; obſeruatiōe teneri, amico aīo monuit, ne ijs deliramētis crederē, uaniſsimū eſſe inquiēs harum imaginū cōmentū, fideq; illi ac fas deeſſe, neq; figmētis eiuſmodi ſiue formis aliquā uim terrenis corporibus inſeri poſſe. Pręterea aiebāt ſtultiſsimū uideri fortunę fa-

uorē ullis artibus ſibi cōciliare uelle:cū nul
la oīno ſit fortuna, neq; tale numē uſquā
reperiat: nāq; Plinio uiro undequaq; do
ctiſsimo teſte, cōſtat mortales hoc ſibi nu
mē finxiſſe atq; inueniſſe, ꝙ tamē ipſum
cōuitijs colitur dū illius cęcitas, incōſtātia,
incertitudo, & uarietas arguitur: et ꝙ ipa
utrāq; paginā faciat culpatur. Cęterùm ſa
crę philoſophię ſnīa firmiter credēdū eſſe
nullis locis, nulliſq; tpibus prouidētiā ab-
eſſe diuinā, nec à fortūa uel ſtellarū ptāte
aut īfluxu ſeculariū negociorū pēdere ꝓfe
ctus, ſed ꝓuidiſsimo Dei arbitrio cuncta
diſponi. His itaq; caſtigatus uerbis, reli-
cta fortunę cultura, ad diuinā opē aſciſcē-
dā, ęterniq; parētis fauorē mihi cōciliādū
ꝓtinus aīm adieci: cū aūt hac de cā fana oīa
ſacraſq; ędes ac tēpla diu noctuq; frequēta
rē precibuſq; et adoratiōibus diutius inſi
ſterē, fortè uir qdā arcta mihi neceſsitudīe
cōiūctus iſq; mirificè facetus, cui ingeniū
ac deſideriū meū ꝓbe notū erat, ubi pter
morē me ea facere aīaduertit, rem ut erat

ſuſpicatus, quadam die prçteriens raptim hæc mihi in aurem inſuſurrauit, quàm nõ turgeſcunt, inquit, ijs precibus loculi, neq; adoratiõibus crumenæ intumeſcũt. Quo audito ego protinus exurgẽs & in illum uerſus pugno appetitum pulſatumq; reieci, inquiẽs, abi in malam rem inſolens furcifer cum tuis nugis: ita ne tu ſimia bonos irrides? ſuperi te, ni reſipiſcas, eradicẽt, maleq; perdant. Atqui alter qui tunc illum comitabatur, homo ſanè doctus ac modeſtus ioco repreſſo ad ſeria ſermonem cõuertens, profectò inquit, quiſquis ad hoc Deũ colit & adorat, ut aliud quàm ipſum promereatur, hic non Deum colit, ſed id quod aſſequi & obtinere concupiſcit. Ad quę uerba ipſe uehemẽter ingemui: ea uerò ſæpius reguſtata ſentẽtia, pleriſq; ſcrupulis animũ meum inquietantibus ſperare ultra deſij precibus Deum flecti poſſe, ut optatibus meis annueret, & quidẽ ipſe ægrè admodùm ferebam ſurdum mihi cælum eſſe, quamobrem uarijs querelis

quotidie inſiſtebã. Cæterùm cum aliquã-
do grauiter ingemiſcẽs à Frãciſcano quo
dam concionatore ſciſcitarer, quid cauſæ
eſſet, cur ærumnoſis mortalibus tam du-
rus eſſet Deus, & qua ratiõe illorum ſup
plicationes exaudire nollet, ille reſpondit,
O bone, Quàm multũ tribuit qui nocitu
ra negat. Nec plura effatus proripuit ſeſe,
moxq́; cito gradu receſsit, ac me multa di
cere parantem deſeruit. Atqui ego nihilo
ſegnius alia uia cælum mihi tẽtandum fe
licitatemq́; hinc eliciẽdam ratus, operęprę
cium fore exiſtimaui ad diuorum auxilia
confugere illorum præcipuè, qui dum in
humanis agerent, inopiæ labores exper-
ti fuiſſent, exiſtimans eos facilius ad miſe-
ricordiam poſſe commoueri, qui miſeriã
aliquando ſenſiſſent, & paupertatis ama-
ritudinẽ deguſtaſſent: uerùm id fruſtra:
alta ſiquidẽ illa corda humanis precibus
mãſueſcere noluerũt: quãobrẽ tãta illorũ
inclemẽtia uehemẽter exaſperatus atq; of-
fenſus, ut ingenuè fatear quod uerum eſt,

animo ad impietatẽ cõuerſo mecũ ita fari cœpi. Flectere ſi nequeo ſuperos, acherõta mouebo. Atqui dũ hac ĩ re quid molirer, quid'ue agerẽ ſolicita mẽte cogitarẽ, acci dit ut in amicorũ cõuẽtu ſermo de eiuſmo di rebus fortè oriretur, alijs autem alia re⸗ ferẽtibus, ex ijs unus talẽ retulit fabulã: mi les quidam poſt plures exãctatos labores ad ſummã redactus inopiam ſenioq; con⸗ fectus cũ neq; militare ampli⁹, neq; aliũde uictum ſibi parare ualeret, humana pror⸗ ſus ope ſe deſtitutũ animaduertens, ſtatuit à deipara uirgine necnõ reliquis cœlitibus præſidium requirere, illosq; ſupplicibus uotis ut ſuæ inopiæ ſubuenirent permo⸗ uere. Itaq; anus cuiuſdã conſilio fretus ſin⸗ gulis qui in fano uiſebantur diuorum ſi⸗ mulachris cæream faculam præfixit ob⸗ tulitq;. Cum autẽ cæteris diſtributis una adhuc ſupereſſet, quam cui dicare poſſet ignorabat, caſu aĩaduertit cacodæmonis imaginẽ pedibus cęleſtis militię prępecti ſuppoſitã. Itaq; negocio aliquandiu apud

ſe meditato, Plutoni ipſi reliquam illam lucernulā dicauit obtulitq́, & illius ſimu- lachro affixit, reputans percommodum fore nō modò bonorum, ſed etiā malorū beneuolentiā demereri, ſibiq́ omniū auxi lia cōparare atq́ adiūgere. Auſpicatis igi tur hūc in modū rebus, ubi aduētāte nocte in ſtrato miles ipſe recubuiſſet, ſeq́ ſopori dediſſet, per quietē uidere uiſus eſt cacodę monē talibus ſe uerbis cōpellātē, En ego ipſe ſum, quem tu heri omniū nouiſsimū cæreo donaſti munere: alij quidem quos priore loco ueneratus es tibi opitulari nō curāt. Mihi ſemper pronior in meos cul- tores animus fuit, proinde nihil cunctatus quāprimùm huc ad te ꝓfectus ſum, tuas ęrumnas haud dubiè eleuaturus. Quocir ca animæquiorem te eſſe iubeo: hunc au- tē in quo ſtas locum diligēter ſignare me mēto: nāque effoſſa ad ternos dūtaxat pe- des humo uim auri maximā reperies, quo locupletatus te mihi perpetuę gratię debi torē eſſe fateberis, et, niſi īgratiſsimus eris

pro tãto accepto beneficio diuinos honò
res mihi poſthac exhibebis. Hac itaq; ui-
ſione & denunciatione lætus miles de ſi-
gnãdo gnauiter loco ſolicitus eſſe cœpit:
exiſtimabat ſiquidem ſe in amœno quo-
dam prato uerſari: ubi cum neq; lignum,
neq; lapidẽ ullũ huic rei accõmodatum in
uenire poſſet, excogitato remedio, ibidẽ
ciborũ excremento uentrem exonerauit:
quo ueluti ſigno ad locum poſtera die in-
ueniendum uteretur. Cæterum orta luce
expergefactus theſauri uice fœtidam illã
egeſtionem, & naturæ ſuperfluum pon-
dus iuxta ſe inuenit. Qua ex re quanta ſit
in ludificandis hominibus malignorum
ſpirituum fallacia planè intellexit. Ad hãc
recitationem ij qui aderant in riſum ſoluti
ſunt, me uno excepto, qui huiuſce narra-
tionis affabulatiõe me morderi intellige-
bam. Verùm negocij ſimilitudine admo
nitus, animo meo infigendum cẽſui haud
quaquam Stygijs laruis eſſe fidẽdũ. Th.
Optimũ mehercle ex re nugatoria docu-
mentum

mentum: ſed quid tu ſubinde? Chr. Non‑
nulli qui affectus meos planè didicerant,
ſuadebant, ut quoniā ipſe cælebs erā, am‑
biēdis ſacerdotijs intenderem, hoc ipſum
aucupij genus quæſtuoſiſsimū eſſe dicti
tantes; quod quidem minimè uanum eſſe
res ipſa apertiſsimè declarabat: ſæpè et‑
enim in fumoſis tugurijs nati hac uia re‑
pente ad ſummas opes promoti cōſpiciū
tur. Thau. Cur igitur non hoc amplexus
es cōſilium? Chry. Primum quòd hac no‑
ſtra tempeſtate incertum eſt quibus reti‑
bus, uel quo hamo prȩda illa capienda ſit:
quandoquidem non ut pridem in piſcato
rum ſed in uenatorum potius & aucupū
caſſes præda illa deuoluitur: & alij quidē
alio modo eccleſiaſtica beneficia uenātur
capiūtq; quam certè ad rem uarijs ineſca‑
mentis homines utūtur. Porrò non ſatis
cōſtat prece an precio, modeſtia an impu
dētia, dolo an probitate, lenocinio an pu‑
dore, ſcurrilitate an ſanctimonia, honeſta
te an impudicitia, taciturnitate an eloquio

diſsimulatiõe an ueritate, uitio an uirtute, integritate uitę an corruptela hæc ipſa au cupanda ſint, planè hodie quãtum cerne= re licet, magis in hanc rem conducit auli= cum eſſe quàm theologum: neq; uerò in explorandis hominum moribus pigrũ uel ſegnẽ eſſe oportet: curſu autem & ce= leritate cæteros anteuertere quã maximè expedit. Cæterùm hoc unũ me ualde de= terruit, quod recenti adhuc memoria uir quidã ſupremi in eccleſia ordinis, qui opũ magnitudine eius ętatis præſules omnes antecellebat dũ animã ageret, ſuæ condi= tiõis ſortẽ accuratius intuẽs, periculumq; uehemẽter expaueſcẽs, optaſſe dicebatur ſe pauperrimo quocũq; ſacerdote uixiſſe pauperiorẽ. Succurrebat etiã quòd à do= ctiſsimo quodã uiro publica cõciõe aſſer= tũ audiuerã, eos qui eccleſiaſticorũ prouẽ tuũ adminiſtrationem ſuſcipiũt horrẽdũ aliquãdo ſubituros iudiciũ, ſi pręter hone ſtum legitimũq; & neceſſariũ uſum ipſi qui earũ rerũ nõ domini ſed diſpẽſatores

eſſe intelligũtur creditis ſibi facultatibus abuſi fuerint: illi profectò nũquã mihi placuere cibi, qui accepti nauſeã uel tormina pariunt, uel qui à dulcore incipiẽtes poſtmodùm amaritudine terminantur. Th. hoc ipſum proculdubio ualde formidabile eſt. Quid actũ poſtea? Chry. Hęſi ſubinde aliquãdiu in deliberãdo ſuſpẽſus, ꝙ ambigerẽ rõnibus ne meis conduceret in curiã proficiſci, & aulæ memet addicere. Th. Hęc una ſane uia ad parãdas opes honoresq́; aſſequẽdos accõmodatiſsima eſt ſi ſecũdi aſpirẽt uẽti, & nũc maxime clara eſt in ſacerdotijs largiẽdis, eccleſiaſticisq́; prouẽtibus tribuẽdis principum liberalitas. Chry. aperta res eſt: ſed quàm hoc tũ illis, tum reipublicę Chriſtianæ felix futurũ ſit, ipſi uiderint. Præterea nõ omnibus arridet curia, neq; illa profectò oẽs ditat. Th. Equidẽ curia ipſa ſępenũero, quos locupletiſsimos accepit, nudos poſtmodũ & afflictos eijcit. Necnõ plęroſq́; ex aula ad caulas trãſmittit, & ueluti importunos

canes è culina feruentis iuris conſperſione fugat & expellit. Sed quanam re fretus in curiam proficiſci parabas? Chry. Ego ad rem eo in loco bene gerendam nō admodùm malè mihi uidebar compoſitus atq; idoneus, in primis quidem quòd aſſentãdi artem planè noueram: item & ludēdi, iocisq; & ſalibus inſuper ac lenocinijs placendi modum apprimè callebam. Thau. Hic ipſe ſanè etſi nō adeò probatus, tamē certiſsimus eſt hodie quæſtus: & hęc quę dixiſti magnum noſtra tēpeſtate ad promouendos homines habent momētum. Chr. Et quidem ipſe mihi præterea nonnulla documēta atq; exēpla ſectanda imitandaq; propoſueram, ex quibus non mediocrem gratiam me conſecuturum ſperabã. Thau. Licet ne ſcire quid hoc rei ſiet? Chry. Ipſe aliquando legeram prudētem quendam uirum olim fuiſſe interrogatū, quonã modo quis principibus uiris atq; optimatibus placere poſſet, illum uerò reſpondiſſe, Si cum ijs, inquit, iucundiſsimè

loqueretur

loqueretur, aſsiſteret autem utiliſsime. Quod ſanè uerbum cùm ipſe ualde memoratu dignum cenſuiſſem, illud tenacius menti impreſſeram, exiſtimans eius præcepti memoriam mihi aliquãdo ualde profuturam. Thau. Nequaquàm profectò incõſultè: hoc enim apophthegma omnibus aulam frequentare cupientibus eſt accõmodatiſsimũ, ſed expecto ſi quicquam ſupereſt ex ijs, quorum fiducia in curiam te conferre cõgruũ cenſebas. Chr. Adnotauerã iamprĩdẽ rem unã me coram recitatam, quæ tametſi ioco referebatur, attamen diligenter meditata & expẽſa minimè ſpernendũ mihi uiſa eſt afferre documentum. Equidem ferunt ad Xiſtum olim Romanę ſedis pręſulem ueniſſe ex Germania hominem ſequendæ curiæ percupidũ, eiusq; rei gratia, & quòd ſe in ipſius põtificis domum ac familiam recipi quàm maximè deſiderabat, à nonnullis Germaniæ & Italiæ principibus ſuper hòc ad Xiſtũ ipſum literas detuliſſe

quibus redditis, põtifex negotio pauliſper meditato atque hominis ipſius geſtu ac uultu cõtẽplato reſpõdiſſe dicitur, ſibi pridem conſtitutum eſſe neminẽ admittere, niſi quem & eruditione & uirtute pollere cõſpexiſſet: proinde operæprecium fore ſcire, num ipſe artẽ quãpiã calleret, uel aliquo doctrinę genere excelleret. Ad qđ ille ait ſe quidẽ nullã callere artẽ ex ijs quas eruditi liberales uocãt; cæterum alia quadam haud quaquam aſpernẽda ſcientia ſe eſſe pręditũ. Põtifice uerò requirẽte quænã illa eſſet ſciẽtia; ille ut erat natura rudis, ita rudi et incõpto ſermone, ego ĩquit, ſcio ĩter gẽtes uiuere. Quo dicto Xiſtus mirifice lętatus, ꝑfectò inqt, tametſi hęc inter liberales nõ aſcribitur ſciẽtia, optima tamẽ ac perutilis eſt practica. Hoc ꝗppe uocabulo illũ uſum fuiſſe ferũt. Itaqꝫ quod notatu dignũ cenſeo hominem ea diſciplina inſtructũ Romanus põtifex dignũ iudicauit, qui in aulicorũ ſuorũ numerũ aſcriberet. Quod meherclè iudiciũ ſummã mihi

addebat fiduciã fore,ut pbelle cũcta mihi in aula ſuccederẽt. Enimuero ex frequenti oĩs generis hominũ cõuerſatiõe et multa-rũ prouinciarũ atq; regionũ peragratiõe magnã inter homines uiuẽdi peritiã mihi uidebar aſſequutus: ut etiã ipſi Vlyſsi me cõferendũ exiſtimarẽ, quem tãtopere ob idipſum Græcus poëta uerſibus extol-lit, q̃ ille mores hominũ multorũ noſſet & artes. Th. Nil ambiguè, ſumma res eſt noſſe ſingulorũ hominum moribus con-grua dexteritate ſeſe accõmodare. Et pro fectò non alia magis aulico homini neceſ-ſaria obſeruatio. Proinde ualde miror, quid cauſæ interceſſerit, quominus id uitę inſtitutũ amplexus fueris tãta præſertim bene gerendæ rei ſpe ſe offerente. Chryſ. Non una me ratio ab illo itinere auertit: ſed præ cæteris hoc unũ me maximè per-mouit, quod pullulantia inter aulicos inte ſtinarũ diſcordiarũ ſeminaria, & apertas nõ uirorũ modo, ſed etiã fœminarũ ſimul tates ꝑhorreſcerẽ, et ueluti naſcẽtiũ ſpinarũ

plantulas

plantulas ex animo deteſtarer. Thau. De iȷs quid ad te? nã & ſæpe Reſpublica priuatis creſcit inimicitiȷs. Chry. mihi hoc creſcendi genus minime placet: & id malim exteri quàm noſtri experiãtur. Præterea ubi diſsidia & factiones uigent, difficile eſt quẽquam ſine offenſione uerſari. Th. Tua iſta uerba magnum habent põdus: ſed hoc ne ſolum eſt quod te deterruit? Chry. Minimé certè: nã & id quoq; mihi ualde diſplicebãt, quòd frequenti rumore diſſeminatum audiebam homines quoſdam nimis certè acutos uariȷs adinuentionibus, necnon odioſis nouitatibus excogitãdis animum intendere, acerbaq; conſilia ſuggerere: quibus prolatis, ſi uera ſunt quæ feruntur, eò res euaſura credebatur, ut exagitatis uexatisq; omniũ ſtatuũ atq; ordinũ mortalibus, optimi & præſtantiſsimi principis nomen nulla quantum opinor eius culpa, nõ perinde ac meretur apud ſubditos dulce, gratũ & amabile eſſet futurum. Quid autẽ pulchrius,

quàm uiuere cunctis optantibus, & cùm aliquando moriendum ſit, ingens ſui deſideriũ ſuperſtitibus relinquere? Ego certè tam excelſi regis dotes, tam præclaras & diuinas uirtutes, & quas tam illuſtres ab omnibus hactenus tulit laudes ne tantillũ quidem ſubobſcurari, neq; diuinam illius memoriã impoſterum ulla ratione carpi poſſe uelim. Thau. Hoc te liliatum animũ gerere claro teſtatur iudicio. Erat'ne inſuper aliud quidpiam quod te offenderet? Ch. Præter illa quę retuli, ſummopere uerebar fictam illã magnatum comitatem, & blãdiores compellationes atq; affatus, aquã benedictã curiales uocãt: cuius rore qui aſpergũtur, primùm quidẽ quaſi uitali ſpiritu afflati mirificè exhilarãtur, geſtiunt, exultãt: & eo ueluti ſucco quodã ali uidẽtur: uerùm id nullo exinde fructu, nulloq; profectu: nãq; deluſi tandẽ, lõga expectatiõe macerati turpiter ac miſerabiliter lãgueſcũt. Quis etiã ignoret illud eſſe apud aulicos miſerrimum, quod niſi pro-

prio quis ſumptu uiuere uelit, non ad ſuũ, ſed ad alienum appetitum atq; alterius fame illi edendum & diſcumbendum eſt, idq; tanta nõnũq; commenſalium frequẽtia, ut altero tantũ brachio uti: unicoq; ſolum cubito menſam cõtingere liceat. Mitto quod ſi forte quiſquã paulo tardius uenerit, rubore perfuſus latrãte atq; obmurmurante ſtomacho retrocedere cogitur. Quid plura? certè cũ permulti de curialiũ miſerijs ampliſsimè ſcripſiſſe dicãtur, ipſe mihi perſuadeo, illos uix milleſimã aulicarũ ærũnarũ partẽ dicẽdo fuiſſe perſequutos: ceterùm ad ea quę ſupra memoraui id addiderim, mihi uehementer diſplicuiſſe aulicorũ in petẽdis cõfiſcatiõibus importunitatẽ (ſic noſtri bona fiſco addicta uocãt) pręſertim dũ añ iudicialẽ cognitionẽ à principe poſtulantur: quæ res hoc noſtro ſeculo pernicioſiſsimè frequẽtari cõſueuit. Quò fit, ut ſtimulãte cupiditate, & habẽdi libidine in eos qui pecunia & opibus abũdare putãtur, uarię perſępe accu-

ſatiões nulla legitima cauſa īſtituant. Nec dubiū quin ipſis aulicis atq; magnatibus prædæ inhiātibus, ac propterea eiuſmodi negocia promouētibus oīa reis & delatis duriora ac terribiliora reddātur: ſiqdē eorū authoritas qui hinc lucrū aucupātur facit, ut neq; teſtiū copia, neq; iudicū ſeueritas unq̄ deſit. Huic aūt malo cognatū eſt aliud mea ſentētia nō in poſtremis execrādū, ipſorū ſcilicet aulicorū in eccleſiaſticis dignitatibus, anteq̄ uacēt, poſtulādis impudēs ambitio: quę dubio procul optādę mortis alienę ſecū fert occaſionē: qđ quàm īprobādū quāq; deteſtādū ſit, nemo eſt q ignoret. Ego certè eos q ſic ꝓuehūtur exitiū uerius quàm ſacerdotiū ſibi cōparaſſe exiſtimauerim. Verū, qđ fauſtū felixq; reipublicę ſit, ferūt principē boni rectiq; amātiſsimū cōſtituiſſe iſtiuſmodi ambitiões uelle coërcere. Th. Equidē non dubitarim id et regi ipſi, & toti regno felix fauſtūq; futurū. O quàm pniciosū afferūt cōſiliū ij, q principibus ſuadēt, ut pſulū ac paſtorū

pręficiendorum prouinciam ſuſcipiãt, uel id oneris humeris ſuis imponant. Quãq; enim principes ipſi apoſtolicis diplomatibus muniãtur, attamẽ in eo explicãdo negocio non propriã uolũtatẽ, ſed dominici gregis profectum ſibi ante oculos ſtatuere, & animo uerſare, necnõ diligẽter expẽdere debẽt. Quocirca in deligendis ac nominandis perſonis, atq; in illarum idoneitate diſcernẽda nõ leuis utcunq; cautio, ſed ingens, meo iudicio, ſagacitas eſt adhibẽda. Nãq; is qui uel ſolo fauore, uel nuda, ut ita dicã, gratia motus recta, poſtpoſita ratiõe minus utilem paſtorẽ ouibus Dei præficit, de animarum omnium naufragijs, deq; omnibus hinc prouenietibus iacturis Chriſto iudicanti rationẽ aliquãdo reddere cõpelletur. Et haud ſcio an prętter emergentium damnorum rationem hoc quoq; illi imputandum ueniat, quòd legitimo delectu habito, ſpiritalia incrementa per alium auctiora fieri potuiſſent. Ch. in ſumma, quantum opinor, negocium

iſtud

iſtud periculo nõ uacat:ſed de ijs,ſi ita placet,aulicorum ipſorum eſto iudiciũ. Th. Sic igitur aulicus fieri noluiſti. Chry. Nihil me mei pœnitet conſilij,adhuc in ſententia permaneo. Thau. Romana curia forſan tibi cõmodior extitiſſet:hæc enim mirãdum in modum quæſtuoſa eſſe exiſtimatur tanta præſertim liberalitate,ut nemini ex ſupplicantibus quicquam negare cõſueuerit:ſi quidẽ ſtatim precium libello cuiq́ʒ ſubſcribitur,fiat ut petitur. Ch. Magna eſt profectò liberalitas pro auro plumbum repẽdere. At mihi certè plumbo quouis gratius eſt aurum. Thau. Nõ obſcura canis,ſed tamen quàm precioſum ſit illud Romanæ curiæ plumbum fortè ipſe nõ aduertis;eo namq́ʒ ingens auri copia,& opes quàmmaximæ cõparantur. Chry. Ego in animum induxi eiuſmodi prouentus nõ eſſe mihi ambiendos,neq́ʒ eccleſiaſticæ gazæ uel ſacræ pecuniæ inhiandum:hæc enim profanis manibus attrectata citius penè q̃ʒ aſparagi coquãtur,

effluit,& niue ocyus colliqueſcit. Præter‑ea ne curiæ illi me addicerẽ, aut ſacerdo‑tium ordini adhærerem, id efficiebat, ꝙ omnes augurabãtur graues decimatiões & exactiones huic hominũ generi impendere. Ea ſentẽtia principes inuitante quæ ait, pinguis eſt panis Chriſti, & prębebit delicias regibus. Accedebat ꝙ creſcẽte in dies deformitate, breui reformationẽ ali‑quã futurã metuebã. Inſuper nõ mediocriter uerebar nefandas hęreticorũ in hũc ordinẽ criminatiões, calũnias, obtrectatiões infeſtatiões, & inſana ꝑpemodùm rabie nõnullis in locis pſequutiões, necnõ eorũ, qui curiæ illi malè uolũt pluſqꝫ exulcerato aĩo, inſectatiões. Neqꝫ uerò id me parum mouebat, ꝙ uulgò aiebant futurum, ut il‑lud miſſæ exordiũ ſupprimeretur, quod habet, Gaudeamus omnes: Et pro eo alterũ frequẽtaretur, quod ĩcipit, multę tribulatiões iuſtorũ. Quæ res ſuſpiciõe quadã aĩm meũ ualde angebat lęta ſemp & iucũda ſibi cani exoptãtẽ. Graue inſup erat ꝙ
barbari

barbari quidã impia nimirũ opiniõe cõtẽ debãt aliud miſſæ procœmiũ idẽtidẽ tolli debere,quo defunctorũ manibus requiẽ ęternã ſacerdotes ĩprecãtur:quę certè cãti lena tametſi męſta flebiliſq; uideat̃,uberri mũ tñ fructũ affert.Itaq; barbaris ipſis nõ tã ratiõe q̃ apta ui ſuã hęreſim firmare ſa‐tagẽtibus,ob idq; uniuerſo eccleſiaſtico ordini nefariè ĩſidiãtibus,minimè mihi ex cõmodo meo uiſum eſt eſſe eã,de qua loq mur,amplecti cõditionem.Th.Potuiſſes romę et alia cõditiõe nõ ĩcõmodè uiuere. Ch.Potuiſſem fortè ſed cũ ipe natura mo roſior,et ad iracũdiã ꝓnior ſim,ueritus sũ, ne ꝓteruũ illud Romani Paſquilli ĩgeniũ et duriſsimã eius ceruicẽ,necnõ ĩprobã di cacitatẽ ferre nõ poſſem:is enim ĩ ſummis reponit delicijs,oẽs nullo diſcrimine ſug‐gillare,mordere,carpe & criminari:tãta quoq; ille ꝓuicacitate tãta arrogãtia, tãta deniq; petulãtia eſt,ut ne reuerẽdis quidẽ parcat epiſcopis,nõ cardinalib',nõ,q uix qſquã crediderit ipſis Rom. põtificibus:

præterea nõ procerum, non Regum, nõ Imperatorũ, aut magnatum quoruncũq; facta ad populum traducere ueretur aut reformidat, quin illos mira audacia uellicat, pungit, inſectatur, ſuisq; magis laceſſit: quo mihi olim Hadrianus quodã Romanæ urbis epiſcopus, iure feciſſe uiſus eſt, qui illum ob linguæ petulantiã in carcerem ac latomias duci iuſſerit, hominem putans, cum ſtatua ſit, loquacitate tamen & garrulitate famoſa. Marſerius certè et ipſe Romanus ciuis atq; in quiritum numerum olim aſcriptus non adeò procax eſt habitus, ſemper enim ſe in loquendo modeſtiorem prębuit: uerùm ni propinquorũ prudentia cõſulatur, uerendũ erit, ne is Paſquilli affinitate & ſocietate breui deprauetur: ipſe quidem Paſquillus quan quam antiquus ſit curialis, ob hanc tamẽ cauſam nullis hactenus auctus eſt ſacerdotijs, quòd præceptum illud ſeruare neſciuerit, quo Ariſtoteles, olim Calliſthenem ad Alexandrum proficiſcẽtem

monuiſſe dicitur, ut ſcilicet uel ſilentium teneret, uel placentia & iucunda principi loqueretur: quod cùm ipſe Calliſthenes philoſophica libertate fretus ſeruare ne-glexiſſet, in miſerandas calamitates inci-diſſe perhibetur. Equidē, quod ad ipſius Paſquilli dicacitatem attinet, ferunt illum pridem à quodam bono uiro fuiſſe mo-nitum, ut memoria teneret id quod Re-gius Propheta ait, Prohibe linguam tuā à malo: & inſuper, uir linguoſus non diri getur in terra. Præterea recordaretur phi loſophum quendam probatiſsimum di-xiſſe iccirco mortalibus duas aures à na-tura datas, os uerò unum, ut plura audire mus, pauca uerò loquerētur. Ad quę Paſ quillus ipſe reſpōdiſſe dicitur, ſibi iamdu dum apoſtolico diplomate indultum, ut pro ſuo arbitratu ridenda ridere, & car-penda carpere impunè ualeat: addidiſſe præterea in libera ciuitate liberas linguas eſſe debere. Itaq; nulla unquam ratiōe illi perſuaderi potuit, ut digito linguam cō-

peſceret. Thauta. Quid tu, quæſo, cum ijs agas, qui ex ſilice nati cerebrum non habent, nec recta ratione uti nouerũt. Chryſophi. Per me quod uoluerint faciant. Thauta. Satis multa de Romana curia: iam aueo ſcire quidnam de Caroli Imperatoris atq; Hiſpaniarũ Regis aula ipſe tibi perſuaſeris. Chryſ. Huiuſce principis ingentem eſſe claritatem, affabilitatem, & comitatem apud omnes teſtatiſsimũ eſt. Cæterùm in ea curia ſemper illorum mores mihi ualde ſuſpecti uiſi ſunt, qui, ut Strabo ait, ad uerſutum natura ingeniũ ſubdolam quoque mentem adiungunt. Thauta. Appoſitiſsimè, reliquum eſt ut ad Britannorum regiam tranſeamus. Chryſ. Quanquam Angli auro atq; opibus abundare dicantur, nullũ tamen mihi cum inſulanis illis uelim eſſe negociũ: neque enim ibi ſedes figendas puto, ubi cruenta capitis diminutione multi boni uiri perijſſe referuntur. Thauta. In Pannoniam proficiſci non admodùm, ut puto,

fuiſſet quæſtuoſum. Chry. Quis, quæſo, prudens ab ijs præſidium requirat, qui alieno auxilio indigere noſcũtur. Thautanus. Quantum audio, nulla tibi in principum aulis uiſa eſt quærenda felicitas. Chryſo. Probè rem tenes. Thauta. Quid igitur ſubinde facere aggreſſus es? Chrysophi. Ego, ubi nulla priora conſilia ſatis procedebant, leuandi mœroris gratia cum ijs ſæpe uerſabar, qui eodem morbo laborare uidebantur, explorans quidnam illi ſuper hac re conſilij capiundum, uel quo aduerſus ærumnoſam iſtam paupertatem remedio utendum cenſerent; Planè inter deambulandum die quadam unus qui admodùm oculatus exiſtimabatur, quid ipſe facere conſtituiſſet mihi ſecretò aperuit: namque ait ſibi in animo eſſe peruenuſtam quandam & lepidam puellam quæ in uicinia apud matrem educabatur, quanquam pauperem & indotatam, ſibi matrimonio copulare, qđ factũ cũ ego uehemẽterim probarẽ,

aſſerens algentem algēti, & inopem inopi coniunctum bonā frugem afferre non poſſe. Ille contrà aiebat permagnum eſſe ex fœmina quæſtum, ſi quis cōgrua dexteritate negocium nouerit promouere: neque aliunde uberius lucrum contingere: proinde nō abs re uulgato prouerbio dici ſolitum domeſticam fortunam magna ex parte in muliere ſitam eſſe. Enimuero hunc ſexum uel ditare domum, uel deijcere conſueuiſſe: cuius quidem rei teſtatiſsima exempla ille afferebat: quam etiam ob rem, Strabone geographo teſte, priſci quidam authores domum quæ muliere carebat, ſemiperfectam, alij claudam uel mancam appellauere. Neque uerò ubi formoſa eſſet mulier inopiam reformidādam aiebat, modò aduētantum amicorum frequentia minimè uiro nauſeam pariat, & ij qui bene nummati ſunt lęta fronte excipiantur. Me uerò dicente, quid ſi interim in occipitio cucurbitulę uel cornua in fronte naſcantur? quid ſi ar-

morum

morum noſtrorum inſignibus cuculus adijciatur? quid ſi fortè pro natiuo aut aui to nomine Iani cognomen aut alia eiuſmodi nomenclatura imponatur? quid ſi nobis in publicum prodeuntibus cachinni & ſcommata undiquaque redundare conſpiciuntur? Ego certè inquam iſtiuſmodi remedium minimè probandum eſſe puto, ubi tam multa ſimulanda ac diſſimulanda ueniunt, & ubi tam crebrò uel peregrinandum, uel extra propriam domum cubandum ſit, ut corriuali uacua poſſeſsio relinquatur. Atqui, ait ille, paupertatem ferre ſupramodum difficile eſt: tum uita uictu indigẽs nõ eſt uita. Thautanus. Nihil inquam iſta me mouent: quandoquidẽ morte mori melius, quàm mortis ducere uitam. Sic altercantibus nobis quidam ex communibus amicis repente ſuperueniens nos oppreſsit, qui re ac controuerſia intellecta egregiam hanc protulit ſententiam. O ſocij, inquit, profectò melius eſt egere, quàm turpi-

ter ditari: nam quod peccato & infamia quæritur refugiſſe melius eſt. Quo au-dito, utrinque factum eſt ſilentium, atque ita ſopito iurgio diremptum colloquiũ. Planè illi conſilio quo de ducenda in uxorem puella agebatur aliud affine erat, ſci-licet ſi locuples aliqua uidua duceretur, cu-ius opibus præſens inopia ſubleuari poſ-ſet: quæ res haud dubiè animo meo ual-de blandiebatur: uerum dij boni quan-tum ſudant, & quàm parum proficiunt qui aduerſa nauigant aqua, ni ſecundi aſpirent uenti. Certè non ſemper ut uo-lumus, aut quemadmodum ipſi nobis proponimus res ſuccedunt. Haud ſanè facilè inuenias diuitem quæ ſe ultro ino-pi copulare uelit, niſi aliquod fortè ui-tium ſub ueſte lateat: multis igitur in hac uenatione conſumptis menſibus cùm nihil optatibus meis reſponderet, ua-rijs conſiderationibus memet ipſe ſola-bar: quippe in mentem ueniebat id quod

trito uulgatoq́ꝫ prouerbio uſurpari conſueuit, Eum ſcilicet qui diuitem uxorem ſibi copulat ingentem ſibi domui que ſuæ aſciſcere tempeſtatem. Præterea animaduertebam ni exploratis accuratiſſimè rebus quis gradiatur, in procliui eſſe turpiſsimum hac in re facere naufragium: ſiquidem præter incontinentiæ ſuſpitionem ſæpe occurrunt peſsimæ quædam beſtiæ priorum uirorum faciem unguibus appetere ſolitæ, quædam etiam in præmortuorum coniugum necem crudeliter machinatæ. Thautanus. O' te felicem qui talia euaſeris pericula: profectò ſatius eſt paupertatem æqua mente pati, quàm domeſticis inſidijs quotidie de uita periclitari. Chryſophilus. Ita Herde mihi uiſum. Thauta. Dum mecum ipſe attentius reputo quãtis agitatus fueris procellis, nõ parua me tui capit miſeratio. Quod autem nullum uſquam quo ditari poſſes modũ

reperire

reperire potueris, non poſſum nõ medio criter admirari. Cæterùm præcipuè mirum uidetur te prudentem uirum non aliquando animaduertiſſe q̃ repẽte aulicos ſuos locupletare cõſueuerint Galenus ille medicorũ princeps, necnõ & Hippocrates phyſicorum dux pręſtantiſsimus. Ch. Nõ hoc ſanè mihi inanimaduerſum, quin ſæpe nonnullarum herbarum ope apud ruſticos non ſine quæſtu medendi me peritum eſſe profeſſus ſum. Thau. id empiricorum eſt, qui per mortes experimenta agunt: uerùm ij qui cum innata prudentia doctrinam atq; uſum, necnon exercitationem ſiue experientiam coniunxerunt profectò ad opes maximas facilimè euehuntur, & ab omnibus ſumma in ueneratiõe habentur. Chr. Meo iudicio cũ ijs rebus neſcio quæ felicitas medico neceſſaria eſt, quæ ſi deſit, quicquid ad ſanitatem propinatur ſæpenumero in cõtrarium cedit: mihi uerò ea tẽtare nequaquam expediebat, in quibus explicãdis felicitate opus eſſet,

adeo etenim omnia mihi ubiq; aduerſantur, ut etiam ſi me panem coquere oporteat clibanus mox ſit ruiturus. Thau. unuſquiſq; ad aliquod honeſtũ opus eſt à natura inſtitutus, cui ſi ſe ipſe accommodauerit, illi natura fauebit, & res bene ſuccedet: ſin uerò ad alia ſe tranſtulerit, nõ perinde felix erit. Cæterùm uti opinor nemo tam eſt omnibus in rebus infelix, ut idem non in aliquo negocij genere ſit felix. Ch. Memini te in quodã nuper ædito libello ſcripſiſſe eam prouinciam uideri præſtãtiorem quæ plures animas emittit in cœlũ; quę ſi uera eſt ratio, ille inter medicos pręſtãtior haberi debet, qui plures occiderit; uel queẽadmodum Pauſanias ille Gręcus aiebat, is qui ęgrotantes morbo marceſcere non ſuſtinuerit, ſed ocyſsimè ſepelierit: quod cũ factu facile ſit, minimo negocio hũc ipſum pręſtãtiæ gradũ quiſque aſſequi poſſe uidetur. Th. perbelle argutaris. Sed cùm nos impręſentia diteſcendi rationem modumq; exquiramus, in promptu

eſt non frequẽtibus mortibus,ſed quam plurimis egregijs curatiõibus medicum illuſtrari,& ad honores opesq́; prouehi. Chr. Qui hac arte rem ſuam familiarem augere cupiunt ſæpiſsime charitatem uili litati poſtponunt. Thau. Hi certè præpo ſtero conſilio utuntur,qui cùm de aliorũ ſalute ſoliciti ſint,ipſi ſuam negligunt,& pro terrenis lucris æterna præmia flocci pendunt. Atqui hoc ad uniuerſas artes omnemq́; uiuẽdi rationem pertinet,ut qui ſibi poſt hanc uitam cælum patere uolũt, per omnes actus oſtẽdere debeãt in Deũ ueluti in ſcopum ſuã ferri uolũtatẽ. Quippe quemadmodum philoſophi tradunt, omnis actio ad aliquem intẽditur finem: Chriſtiana uerò pietas ĩ Deũ tãq́; felicitatis ſuę finem ſpectat:quicunq́; autẽ à debito fine auertitur,neceſſe eſt ut is improbũ aliquẽ ſibi pręſtituat ſcopũ. Certè quẽad modũ alia ad hominẽ ordinantur,ſic homo ad Deũ. Illud uerò inordinatum eſt, qđ ſpreto maiori bono ad id qđ minus

eſt tēdit. Quāobrē ipſę etiā uirtutes niſi ī Deū referātur uirtutes nō ſunt, ſed in uitiū prolabūtur. Ego certè, ne lōgius à ꝓpoſito euagemur, medicos, ſi charitatē terrenę utilitati prętulerint, ſemideos eſſe dixerim: ſed locupletari cupiētib⁹ frequēter id memoria excidere uideatur: cęterū quoniā ob tuę īfelicitatis ſuſpitionē hāc ipſam profeſsionē minimè tibi accōmodatā putaſti belliſſimè te Iuſtinian⁹ legislator eximius locupletare potuiſſet, ſi ad illū te cōferre uoluiſſes. Ch. Iuris peritia nō niſi ꝓlixo ſtudio & immenſo labore paratur, quade re cōpēdiū quęrēti illā ſectari nō cōducit. Th. Equidē in hac profeſsiōe & tēpus & diligētiā adhibere operępreciū eſt Atq iȷs adhibitis, huiuſce artis ꝓfeſsio mirādū in modū floreſcit atq; uberrimū fructū afferre cōſueuit. Ch. Scio ꝙ ꝓpterè iȷ q iuri dicūdo pręſunt ſępenumero ditētur. Verū id magna ex parte claudicādo efficitur. Porrò nō oēs podagrici eſſe uolūt. Et illud Cābyſis iudiciū multos abſterret, dū

eum qui ius peruerterat excoriari iuſsiſſe dicitur. Th. Iudex ille detracta pelle pro tribunali ſedere nõ potuit: proinde ſatius eſt iuriſdictionem recto inceſſu exercere. Cęterũ permulti ob id reprehẽdẽdi ſunt, quòd ad captanda munera nõ minus ſini ſtra ꝗ̃ dextra exercitati eſſe deprehẽdan- tur. Ch. Hoc pleriſqꝫ in locis eſt frequẽtiſ ſimum: nec mirũ, cùm ubiqꝫ ij qui manu prõpti ſunt maximis laudibus efferãtur: Sed hęc una præcipuè noſtro Delphineo populo felicitas, ꝙ ſenatũ habemus ſum- ma rectitudine, ſumma æquitate, ſumma cõtinẽtia totius Galliæ pręſtãtiſsimum. Verùm ut nihil taceã, barratus iſte litigã- di modus nunquã mihi ſatis placuit, quã- quã enim magnã hãbeat oſtẽtationẽ, mea tamẽ ſentẽtia plus ſpeciẽ quã utilitate pro batur. Th. Vnde tibi id perſuaſum? Chr. Hinc certè ꝙ in ipſo litiũ ingreſſu nimis multũ tẽporis in prolixis narratiõibus tę- dioſiſqꝫ altercatiõibus, atqꝫ diſceptationi- bus inutiliter inſumitur, multis interim ho

minibus longa expectatiõe fatigatis. Th. atqui litigatorum cõtrouerſias plenè audiendas atq; examinãdas eſſe legibus ſancitum eſt. Ch. Partium iura longè accuratius ſcripto quã uerbo examinantur: nam dicẽdo pleriq; labuntur: ſæpe etiam multa effluunt, multa memoriam fallunt: & ſi quis minus idoneũ nactus ſit aduocatũ, hic interdum tametſi bonã fouet cauſam, alterius tamen facundia & dicacitate uincitur. Neq; uerò adeò cõſultè uerba quemadmodum ſcripta proferri poſſunt: & ea quæ ſcripto proponuntur multò melius quàm quę pręteruolãtibus uerbis excepta ſunt à iudicibus põderãtur. Quod enim ex tẽpore ſolidum poteſt eſſe iudiciũ? ipſa nãq; præcipitatio ſani cõſilij nouerca eſſe exiſtimatur. Th. Ea quæ à partibus utrinq; dicta ſunt poſtmodum iudices ſcriptis mandare decernunt. Chry. Ex eo ipſo colligere licet id tempus, quod audiendæ cõtrouerſiæ impẽſum fuit incaſſum effluxiſſe, totamq; curiam hac in re fruſtra occu

patam extitiſſe magno cæterorum qui identidem ſibi ius dici præſtolabantur incommodo ac iactura, pernicioſaq́ʒ negociorum protelatione. Thauta. Quid tu igitur faciundum cenſeres? Chryſo. De his decernere meum non eſt. Cæterùm, uti mea fert opinio, ſatius uideretur controuerſiarum diſcuſsionem, & litiũ proceſſum ad calculum uſqʒ ferendæ ſententiæ paucis delegari: quo peracto, ubi nil præter diffinitiuam reliqui eſſet, tunc frequentiſsimo ſenatu omnibus, quę ad factum pertinent, ordine enarratis aduocatorum utriuſqʒ partis diſceptationes ampliſsimè audiri, & utrinq́ʒ rationes & iura produci, excuti, uentilari. Quæ profectò res ad faciliorem cuiuſqʒ negocij deciſionem plurimum conduceret inſtructis eo pacto de totius controuerſiæ ſumma iudicibus, recentiq́ʒ adhuc altercatione quo quiſq́ʒ iure niteretur planè memoria retinentibus. Thau. Hæc proculdubio ex reipublicæ cõmodo eſſe uiderẽtur

uerùm hac ipſa iuriſprudentiæ diſciplina poſtpoſita, de uenanda ex reliquis artibus utilitate colloquamur. Et quidem ſuperfluum puto abs te requirere, Nũ ex grammatices diſciplina idoneũ aliquod lucrũ elici poſſe cenſueris? Chr. Grammatiſtas bonæ fidei poſſeſſores eſſe puto: ſed cum ipſi ſemper aut ſub ferula ſint, aut ferulam gerant, & uerborum uim deriuationem ac naturam toto ſtudio perſequantur, neq; quid aurum uel argentum ſit, illos ſcire crediderim. Thauta. Rhetores non itidem: ipſa namq; Rhetorica exercitatione roborata ingentes ſæpe in domum opes intulit. Chryſ. Lingua certè multos prouexit, ſed & multos exauctorauit. Thauta. De hac certè dicendi facultate nõ ualide requirendum exiſtimo: cum enim Cicero definiat oratorem eſſe bonum uirum dicendi peritum, ubi, quæſo, bonum hunc uirum inuenire poterimus? Equidẽ ut idem Cicero inquit, ſi uidere id quod rarò uideri contingit

miraculum eſt: profectò bonum hominē uidere miraculum erit. Sed interloquēdū uenit in mentem ad augēdas opes calcu-lariam artem plurimum ualere. Chryſo. Quis ex ea diſciplina ſit profectus neſcio: hoc planè ſcio, peſsimū eſſe calculo labo-rare: ars certè ipſa numerorum ijs quibus aliquid numeratur perutilis eſt, ijs uerò qui alijs numerare debent grauis & mo-leſta. Equidem aliena ſupputare minimè lucroſum ſæpe etiã periculoſum eſſe per-ſpeximus: quãobrem id lucri genus ipſe ſemper auerſandū cenſui, quod ab ijs qui pridem Regio ærario prępoſiti erant fre quentatum audiuimus: nam etſi eo aucu-pio repente homines ſaginabantur ex in-fima paupertate breui ad ſummum diui-tiarum faſtigium euecti, attamen impro-ba poſtmodùm uerſatione ac furacitate detecta nonnullos eorum ultimo ſuppli-cio affectos lugubri certè & miſerando ſpectaculo noſtra ætas uidit. Profectò ij qui rationibus obnoxij ſunt in miſero uer

antur ergaſtulo: quamobrem longè prę ſtiterit animal rationale non eſſe. Optimum mediuſfidius extitiſſe uidetur Alcibiadis conſilium, qui, ut Plutarchus ſcribit, cum ad Periclis fores ueniſſet, atq; accepiſſet eum non eſſe ocioſum, quandoquidem ipſe quo pacto Athenienſibus rationē eſſet redditurus conſideraret, Nonne ait ille, melius eſt ut cogitet quomodo non reddat, uel quo ingenio ab ea rationum redditione ſe eximat? Thau. Geometriam nunquam opinor attigiſti. Chry. Vellem proprios agros poſſe metiri. Cæterùm ego neminem hactenus eius artis beneficio ditatum noui. Thauta. Quando tibi hæc non placent, artes plurimorū exemplis tibi demonſtraturus ſum, Muſicem lucroſam ac perutilem eſſe. Chryſo. Hac in re neq; rationibus, neq; exēplis arbitror inſiſtendum. Nempe compertum habeo eum qui frigeat ſolidam ad canendum uocem non habere: quocirca ualde mihi probatur poeticum illud:

Grandia magniloquum faciunt ſtipendia uatem

Qui poterat nullos pauper inire ſonos.

Th. hæc ad poëſim pertinẽt, quæ quẽadmodũ ipſe noſti, Virgiliũ, & alios plæroſq; ditaſſe perhibetur. Chry. Hanc ego ualde probarẽ, ſi mecœnates paſsim inuenirentur. Th. Hodie poëtica cenſura multas urbes, multasq; prouincias regi cernimus. Ch. Vellẽ multò plures reipublicę cõmodo. Th. Etiã ne Aſtronomiã repudiabis, & ad ditandos homines inutilẽ iudicabis? Ch. Eos qui ditari cupiũt terrã nõ aſtra ſpectare oportere certũ eſt. Nullus unquã ſyderum cõtẽplator iacentẽ in uia crumenã inueniſſe dicitur. Nõ enim quod ante pedes eſt aſtronomi intuẽtur: itaq; ſi quãdo uiatorẽ quẽpiam cecidiſſe cõſpexeris, hunc uel cæcum, uel aſtrologũ puta. Th. Quicquid ipſe tibi perſuadeas, nõ leuis authoris teſtimonio proditũ eſt Mileſiũ quẽdã philoſophũ olim aſtrorũ iudicio

cio

cio prȩcognita ubertate olearia cōduxiſſe pecūiasq̃ īnūeras ſibi cōparaſſe. Ch. Ego aſtronomicis iudicijs toties me deceptū ſcio, ut illis nuſquā fidēdū eſſe penitus aio infixerim, tantū abeſt ut ipſȩ me aſtrologiȩ addicere uelim. Proinde, ut paucis rē abſoluā, ſic habeto. Aſtrorū in uacuū mar ſupiū nullū eſſe īfluxū. Th. Cȩterarū artiū nulla, opinor, tibi uiſa eſt ſatis ꝓ tua cupiditate & feſtinatiōe quæſtuoſa: quāobrē prioribus repudiatis, de Theologia quicquā ī mediū afferre nō auſim. Ch. An aliquod hactenus ſuis ꝓfeſſoribus emolumētū diuīa hȩc ſciētia attulerit minimē cōpertū habeo: uerùm eā ipſam parū admodū īpoſterū lucroſam fore nō leui, quātū opinor, argumēto cōijcio: nā ut reliqua taceā īdicia, haud ſanè uero ſimile ē artē aliquā uel ſcientiā quȩſtuoſam eſſe poſſe, ubi illa paſsim & ab oībus tractat̃ atq; uſurpat̃. Atq hoc noſtro ferreo atq; īfelicíſsimo ſȩculo oēs ut ita loquar, theologiſare uolūt nō em̄ eruditi mō ſacriſq; initiati, uerūetiā

aqua & igni interdici. Chry. Modernis legiſlatoribus placuit aqua tãtùm illis eſſe interdictũ, ignem uerò publicè adhiberi: frigore etenim illos perire indignum putarũt. Et hæc quidem mihi de theologica facultate uiſa. Thau. De œconomia certè ſcio non contendes, neq; inficiaberis, quin illa ad parandas opes ſemper fuerit accõmodatiſsima. Chry. Amicus quidã meus Xenophõtis de hac re libellum mihi pridem dono dedit, inquiẽs, Hic te mi Chryſophile ditabit: & quidem libellũ ipſum ſumma cum uoluptate legi relegiq;: ſed cùm ea quę ibi præcepta ſunt, animaduertiſſem ad eos tantùm pertinere, qui domum, familiam, uillam, agros, & prędia habent, minimè arbitratus ſum ex re mea fore, ut amplius in ijs legendis tempus tererem: accedebat etiam, quòd illa augendarum facultatum uia nõ quemadmodũ ipſe cupiebam, neq; perinde ac præſentis neceſsitatis ratio poſtulabat mihi compẽdioſa uidebatur. Th. Vna uidetur reſtare

mercatura.

mercatura, per quam tot mortales quoti die locupletari cernimus. Chryſ. Vnde quæſo merces ei qui pecunia caret, præſertim ubi nemo eſt qui credere uelit: prætereà quis neſciat mercatores niſi fallant, & egregiè mentiantur, hominibusq́ imponãt parum admodum lucrifacere? Atqui ego mentiri non ſoleo, & fallere quẽquam nolo. Thauta. Id profectò hominis uerè Chriſtiani & cum primis ingenui eſt. Sed quibus tandẽ cõſilijs ipſe acquieuiſti? Chryſophi. Deſperatis propemodùm rebus, non defuere ex ſocijs, qui ſuaderent latrocinio rem augẽdam. Thauta. Tu ne ijs es aſſenſus? Chryſophi. Minime certè: ſciebam enim niſi magnis uiris, nemini id impunè licere: cęteris hoc quæſtus genere interdictum eſſe. Equidẽ ijs quorum uoluntas pro lege habetur omnia licent. Thautanus. At iſtos Deus iudicabit. Chryſo. Fateor, ſed, quod aiunt, interim patitur iuſtus. Thautanus. Satius eſt iniuriam pati, quàm facere. Chryſop.

Hoc ſemper mihi propoſitum fuit, neminem cum aliena iactura debere fieri locupletiorem. Proinde ego eos maximè quæſtus probaui, qui ſine alieno incommodo contingere queunt. Thautanus. Non facile eſt eiuſmodi quæſtus inuenire, niſi fortè alchumiſtica ratione philoſophicum lapidem quiſquam nouerit componere. Chryſ. Quid tu de ea re ſentis? Thauta. Ego piſtrinorum quàm philoſophorum lapidem utiliorem puto. Chryſo. Amico omnia detegenda ſunt: itaque, ut ingenuè me inſaniuiſſe fatear, certũ eſt omnium, quos ſcire potuerim, huiuſce artis magiſtrorum officinas me adijſſe, & quid illi poſſent ſagaciter exploraſſe, tentaſſeq́;. Heu quàm nimium ijs nebulonibus atque impoſtoribus credidi: quantum temporis in ſufflandis carbonibus, atque in metallorum ſpiritibus à craſſa corporis materia ſecernendis, necnon in ipſa, quam dicunt, Mercurij fixatione perditiſsimè conſumpſi. Pudet

referre q̄ cæca mēte, q̄ obtuſo fuerim ingenio, qui toties deluſus iterum atq; iterum in id opus acrius ac uehementius incubuerim, &, quamquam ſæpe à multis admonitus, deſiſtere noluerim: neque enim deerant, qui monerent hanc certiſsimam non ad diuitias quidem, ſed ad paupertatem uiam eſſe. Thau. Hic tibi ſaltem inde profectus, quod artis fallaciam experimēto didiceris, quodq; naturæ uim nulla artis potentia prorſus æquare poſsit, facto periculo deprehenderis. Ch. Idipſum certè magno meo incommodo ſum aſſecutus. Thau. Hoc in factitijs gemmis clariſsimè licet colligere: ipſa quidem ſpecies oculos fallere poteſt: Cæterùm ſedula & accurata probatio falſitatem aperit detegitq;: proinde quemadmodum nullo ingenio fieri poteſt, ut adulterina gemma uerā ac naturalē uirtute & bonitate æquet ita in metallorum metamorphoſi uſu uenit. Certè qui lunam in ſolem transformari poſſe crediderit, hic meo iudicio tāquā
ſtolidus

ſtolidus ac plane inſanus cornua in capi-
te gerere dignus erit. Quòd niſi ego phi
loſophorum conuitijs me acrius appeti
reformidarem, audacter pronunciarem,
earum rerum quę in penitiſsimis terrę uiſ
ceribus generantur, procreationis mo-
dum, & principia nõ ſatis cuiquam mor-
talium nota uel explorata eſſe: quo fit, ut
dum arte & ingenio naturam imitari ſtu
demus, magna in plerisq; ignorantia la-
bamur: quamobrem minime mirũ eſt, ſi
optatorum effectu ipſi careamus. Quis
autem ſana mente præditus non ſecum re.
putare debeat in auri atque argenti pro-
creatione præter naturaliũ cauſarum con-
curſum nonnullam quoque diuinæ pro-
uidentiæ circunſpectionem intercedere,
per quam rei illius generatio, quæ exercẽ
dorum inter mortales commerciorũ gra
tia inſtituta eſt, ſic regulatur, & ordina-
tur, quòd illa nec ad neceſſarios uſus de-
ſit, nec pariter nimia exuberante copia ui-
leſcere poſsit. Quam etiam ob rem præ-

tioſa ipſa metalla profundiſsimè natura abdidit, ne ſi in propatulo eſſent, pro nihilo haberentur. Atqui ſi hac in re naturam ars & induſtria perfectè imitari uel æquare poſſet, uix aurum ære aut ferro pluris æſtimaretur. Ergo ambigere nemo debet diuina quadam prouidentia ijs rebus ſtatutum eſſe modum, ac terminos quoſdam pręſtitutos, quibus ueluti frænis humanæ præſumptionis temeritas cohibeatur. Equidem ſi ulla mortalium excogitatione, aut adinuentione aurũ ex uiliore aliqua materia cõfici potuiſſet, Hebræus ille rex qui ob pluſquàm humanam ſcientiam, & terrenarũ omnium rerum cognitionem ſapiens eſt nuncupatus, nunquam ad illud requirendum claſſem ſuam in exteras & à ſe remotiſsimas prouincias toties mittendam cenſuiſſet. Ch. Tuis iſtis rationibus facilè adducor, ut credam alchumiſticã artem nullã eſſe: quanquam uarijs productis argumẽtis multi huius rei artem quidem eſſe, uerùm

hanc

146

hanc paucisſimis tãtũ philoſophis cognitam dicãt. Th. Haud equidẽ inficior aliquam eſſe artem, quę adulterina quadam ſpecie homines circũueniat: quę uerò per ſpectam naturæ imitationem aſſequatur prorſus nullã. Cæterùm illud opinor, nequaq̃ te prętereit Eburones in Gallia populos ex æris materia non mediocrem auri atq; argenti uim efficere conſueuiſſe. Itidem & apud nos ſunt, qui non modò ex frumẽto, uerum etiam ex paleis & fœno argentum efficiant. Chryſo. Hic transformandarum rerum modus ubiq; latiſsimè patet. Ego uerò, quod nunc in mentẽ uenit, ſcio complures eſſe, qui alchumiam dentibus facere nouerunt, idq; nullo uel leui admodùm igne: ſiquidem perrarò illorum culmina fumant. Thau. Ipſa profectò parſimonia apud quamplurimos pro alchumia eſt. Sed fac ſciam, ſi quid præterea ipſe tentaueris, uel expertus ſis eorum, quæ ad ditandorum hominum pertinent rationem. Chryſ. Animo

cum eſſem ualde famelico, uagabar explorans undiquaque omnia: nec quæ potiſsimùm mihi ineunda ratio, uel quid cõſilŋ capiundum eſſet excogitare poteram. Porrò adeò in anguſtum meæ facultates coactæ erant, ut ad reſtim deducta res uideretur. Intereà uerò neſcio quo pacto in delirum quendã ſenem incidi, quem magiæ ac necromantię peritiſsimum eſſe fama uulgabat: itaq; urgente rerum penuria, cũ nulla ſpes mihi reliqua uideretur, parum metuens Dei offenſam, dum locupletarer, illi adhęſi, ſperãs, quẽadmodum ille pollicebatur, futurum ut ŋs artibus reperto uetere aliquo theſauro ambo cumulatiſsimè ditaremur: nanq; id nõnullis qui in Cæſariano exercitu militabãt cõtigiſſe cõplures aſſerebant. Th. O` felicẽ artem ſi optatus ſequatur effectus: libet ſcire quãtũ in ea profeceris. Ch. Totius artis effectũ in inuentiõe ſitum eſſe didici: hoc enim ſolùm agitur, ut quod quęritur inueniri poſſit. Thau. Hoc idẽ & fures auidiſsimè &

expetunt.

expetunt. Verùm multi putant antiquos
theſauros à reprobis ſpiritibus aſſeruari,
ut etiã reperti, niſi inito cum illis pacto, ex
portari nequeũt. Ch. De hac re noſter ille
nebulo per multa exempla proferebat, in
ter quę illud relatu non indignũ uidetur,
quod de Gerberto quodã ſacerdote literis
proditũ memorabat. Th. Recita, quæſo
te, hiſtoriã. Ch. Hic ipſe Gerbertus, quẽ-
admodũ ille narrabat, ex Gallia oriũdus
ſuo ſęculo magię atq; necromãtię peritiſſi
mus fuiſſe, theſaurosq; plurimos ab ethni
cis infoſſos reperiſſe exiſtimatus eſt. Por
rò tunc Romę ęrea quędã ſtatua in cãpo
Martio ſublata dextra necnõ indice pro-
tẽſo, ad caputq; relato cernebat̃, iĵs in frõ-
te ſcriptis uerbis. Hîc percute: quod ſupe-
rioris ęui homines ita intelligendum rati
erant, ut ibi theſaurũ latere crederent: quã
obrẽ ſtatuæ ipſius caput multis ſecuribus
laniauerãt. Gerbertus autẽ ſole meridiano
quò protenderetur umbra digiti notans,
ibidẽ palũ fixit. Superueniente autẽ nocte

ſolius cubicularij laternam ferentis comi-tatu eò contendit, ibiq́; ſolitis artibus latū patefecit ingreſſum: in quem cùm ambo deſcendiſſent, uiderunt ibi ingentem aulã regiam, aureos parietes, milites aureos, ta lis aureis ludentes, regem aureū cum re-gina diſcumbentem, appoſita obſonia, aſtantes miniſtros, pateras multi ponde-ris & precij, in quibus materiam ſupera-bat opus. In interiori uerò parte domus carbunculus lapis in primis nobilis & ra rus inuentu tenebras noctis fugabat. In aduerſo autem angulo ſtabat puer tenēs arcum extento neruo, & ſagitta immiſſa. Continuò autem ut quis manum ad con tingēdum aliquid extendebat, imagines illę omnes proſilire, & impetum facere in preſumptorem uidebātur: cuius rei timo-re Gerbertus nihil tetigit. Cubicularius autē putans in tanta prędā paruū furtum facilè poſſe latere, cultellum arripuit mira bilis operis & precij. Mox uerò ſimula-cris omnibus cum fremitu exurgentibus,

puer arcum tenens ſagittam iecit in car-
bunculum, & tenebras induxit: & niſi
Gerberti monitu ille cultellum repone-
re acceleraſſet, graues pœnas ambo dediſ
ſent: ſicq́ re infecta uacui ductu laternæ
regreſſi ſunt. Thautanus. Iucunda eſt me
Hercle fabula. Chryſo. Ille hæc minimè
fabuloſa eſſe aiebat: quin etiam addebat
monachum quendam genere Hiſpanū
iampridem nonnullis comitantibus ad
eum in Italia locum acceſſiſſe, in quo
Auguſti Cæſaris theſauros reconditos
eſſe accolæ ferunt, cumq́ ſubterraneis
cuniculis Labyrintho penè inextricabili
peruadendum eſſet, Dædali ingenio
uſum longā uiam cōfeciſſe, tandemq́ ad
flumē quoddam perueniſſe, cuius utraq́
ripa ęreo ponte coniungebatur, ultra quē
miræ magnitudinis equi aurei cum ſeſſo
ribus, alięq́ res precioſiſsimæ uiſebantur.
Cæterùm ubi pontē ipſum tranſire para
ret, mox uaſtæ magnitudinis ſimulacrū
ex ære caput extuliſſe, clauaq́ quā manu

 geſtabat,

geſtabat minari cœpiſſe: itaq; eo ſpectaculo territum re infecta retro ceſsiſſe. Th. Belliſsima ſomnia ridiculo ſucceſſu equidē pulchrè hac in re nullo magico figmēto Aſſyriorū regē Dariū deluſum legimus: nāq; Semiramis Aegyptiorū regina quod ſibi ſepulchrū cōſtruxerat ijs inſcripſerat literis. Quicūq; rex pecunijs indiguerit, patefacto monumento quot uoluerit accipito. Ea itaq; inſcriptiōe Darius imitatus lapidem ſuſtulit, ſed pecuniarū nihil inuenit, literas tantùm reperit, quæ hæc dicerent, Ni malus uir eſſes, ac nummis inſatiabilis, cadauerum loculos non moueres. Cæterùm artem illam magicam uir undequaq; eruditiſsimus plinius uaniſsimam eſſe demonſtrat: neq; quemquam de hac re ambigere debere ait, quandoquidem conſtat Neronem imperatoria quondam ſublimitate potentem accitis toto ex orbe mathematicis, ac magiæ peritis falſitatem deprehendiſſe: cùm tamen nemo unquam ulli artium ua

lidius fauiſſet: & ad hæc non illi opes defuiſſent, non uires, non diſcendi ingenium, aliaq́ nihil non patiente mundo. Proinde idem ipſe Plinius artem hanc ueluti inteſtabilem, irritam, inanem cenſet explodendam, quæ tamen quaſdam ueritatis umbras habere uideatur, ſed in ijs ueneficam uim pollere, non magicam. Dæmonum certè præſtigijs nonnunquam hominum ſenſus falluntur: nãq́ illi ſæpe in eo negocio ſceleratæ magorum improbitati obſequũtur. Verùm id totum fallaci uanaq́ ſpecie. Chr. Rem ita ſe habere nũquam in dubium reuocabo. Thau. Fuit ne hic errorum tuorum finis? Chry. Imò illorum præludia quædam: quippe ſub idem tẽpus fortè in ſycophantam quendam incidi, qui uenales gemmas deferebat, quas quò precioſiores faceret, utq́ ad illas comparandas homines inuitaret, tabellam in qua ſingulorum lapillorum uires adnotatæ erant, præferebat, exhibebatq́. Quã cum ego

diligentius perlegiſſem, reperi permagnam hyacintho & ſmaragdo ad gratiam, opesq́ augendas uim ineſſe, eosq́ qui gemmas ipſas geſtaſſent, bene fortunatos fore. Hoc itaq́ ueluti arcanum quoddam magnum excipiens, memoriæq́ commendans, nihil antiquius duxi, quàm ut aureis aliquot ab amicis mutuò deſumptis gemmas illas ocyſsimè compararem: neq́ enim mihi de eiuſmodi lapillorum uirtutibus ambigendum uidebatur: cùm in ijs reges ſuas ſtatuant delitias. Verùm, ut paucis narrationem concludam, experimento cõperi gẽmas ipſas uenũdãtibus plurimũ utiles eſſe, illorumq́ rem familiarem augere, ijs uerò qui illas cupidius emant, pecuniæ iacturam afferre. Thauta. Exiſtimo in plantis ampliores naturæ uires poſſe inueniri. Chry. Plantarum certè beneficio ſæpe milites noſtri ſalutem ſibi peperere. Thauta. Nugaris, ego de

herbis

hærbis ſentio. Chryſo. Et ipſe ab hær-
bis præſidium petij, & quid illæ aduer-
ſus ærumnoſæ paupertatis incommoda
poſſent experiri uolui. Thauta. Memi-
ni legere me hærbam quandam eſſe
latacem nuncupatam, quam Perſarum
reges habuiſſe dicuntur, ea quidem ui
præditam, ut qui illam ferrent omnium
rerum copia abundarent. Chryſo. Si cre
dere dignum. Thauta. Non credis opi-
nor. Chryſo. Si unius hærbæ uirtute o-
mnium rerum abundantia contingere
poſſet, nunquam exercitus & claſſes com
meatuũ & neceſſariarum rerum penuria
ad internitionem uſq; uexaſſet. Thauta.
Quodnam igitur tibi cum hærbis fuit
negotium? Chry. legeram in quibuſdam
Villanouani philoſophi quondam nomi
natiſsimi arcanis ſecretiſq; libellis lunarię
hærbæ, quæ maior dicitur diuinam quan
dam ineſſe uirtutem: qua in probatiſsimã
auri ſpeciẽ argẽtũ uerti poſsit, illius ſcilicet

tenuiſsimo

tenuiſsimo puluere aut ſucco in liquefactũ igne metallum coniecto. Thauta. Hæc ipſa proculdubio ualde famoſa eſt her-ba,ſed,quantum opinor,fabuloſa.Chry. Ita mihi ipſe perſuadeo:nullus enim eſt neq; apud ſuperos,neq; apud inferos lo-cus ubi non plantam hanc requiſiuerim; namq; cum nonnulli aſſererent illam in humilioribus ac humectis locis naſci,mul tos menſes diu noctuq; per prata,paſcua & paludes oberrans operam,quod aiunt & oleum perdidi: deinde aliorum opi-nionem ſecutus qui hoc genus caulis in montibus reperiri poſſe aiebãt, Pyrenea iuga,& celſiſsimas Auernorum rupes o-mnes,necnon Allobrogum, atq; Helue-tiorum alpes labore pluſquam humano luſtraui,circuiui,peragraui: & quidẽ nul-lus adhuc fuiſſet laboris huius finis,ni me infelix caſus ab ea perſequutione deſiſtere coegiſſet. Eninuero quum nocte quadã perobſcura in hærboſa planitie uagarer, & q; herbam hanc noctu ſplendeſcere fe-

runt,oculos propterea undiquaq; intendens,ſi quid uſquam lucidum appareret, diligenter obſeruarem:ecce conſpicor procul radiantia ſylueſtris felis lumina,quæ ibi neſcio quibus animalibus īſidiabatur: ea itaq; ſpecie deceptus recta illic intenta oculorum acie incautius pergere & progredi cœpi imprudens,qui quod in uia periculum eſſet minime animaduertebã: aperta namq; eo in loco ingens ad lupos capiundos fouea erat, in quam toto pondere delapſus præceps ferme exanimatus ſum, & ꝗ fouea ipſa præalta erat,quãdiu eluctatus & adnixus,nullo pacto hinc me eximere ualui. Itaq; cũ locus auius,& ab hominũ frequẽtia remotus eſſet,duobus ferme diebus in eo ſepulchro iacui:ꝗ niſi paſtores quidam ouium gregem deducẽtes ſubinde aduentaſſent, de me prorſus actum erat:atqui illi allatrã tium canum indicio lupum captum eſſe autumantes,ad ipſum in quo reſupinus iacebam ſcrobem repente aduolarunt, ſa-

xiſq; in foueam iactis malè me multarũt: parumq; abſuit, quin ab ijs confoſſus miſerrimè perierim: tãdem ab illis agnitus, multoq; labore extractus in proximum quoddam tugurium ſemiuiuus delatus ſum: hunc exitum habuit mea in diſquirendis eiuſmodi fictitijs ac commentitijs hærbis inſania. Thauta. Hoc, ni fallor, euentu didiciſti niſi exploratò, ſuſpenſiſq; ueſtigijs per intempeſtam noctem non eſſe temerè gradiundum. Chryſo. Ea profectò caſtigatione ſatis abunde intellexiſſe mihi uideor, quonam pacto qua'ue cautione ſit in tenebris ambulandum, poſthac cautior futurus. Cæterùm miror quoſdam eſſe, qui hærbam ipſam inueniri poſſe auſint affirmare, homines talibus nænijs deludentes. Thau. Si qua uſquam eſt, eam non alibi quàm in Thracia naſci putauerim. Chry, Quonam quæſo te argumento id ſuſpicaris? Th. Eo certè, q; illic aurei nummi crebris impreſſis Lunæ ſignis excuduntur: qua

ex re uериſimile eſt lunariæ illius puluere aut ſucco metallum tinctum extitiſſe. Chryſo. Eadem coniectura aureos illos nummos qui apud nos ſigno ſolis expreſſo cuduntur alicuius ſolaris hærbæ ſucco uel puluere confici exiſtimandum erit. Thauta. In ijs ipſis non ideo ſolis ſignum effingitur quod croco, uel quauis alia ſolari hærba materia fucetur, ſed ut ij qui libentius aurum quàm ſolem intueri ſolent, uel hoc commento ſolem in auro ſpectare cogantur. Chryſo. Olim nonnullis gentibus peculiare fuit ſolem adorare: nunc penè omnes id culturæ genus amplecti cupiunt: ſiquidem apud nos ij qui ſine ſole degunt, accenſis quantumlibet facibus ſe in tenebris uerſari arbitrantur. Thauta. Redeamus ad hærbarum uires: & ſi quid uſquam illarum ope uel præſidio profeceris, audiamus. Chryſo. Si mihi rigua prata fuiſſent, graminis & trifolij copia fortè ditari, & proficere

potuiſſem: ſimplicem uerò planetam nullam inueni, quæ ſua arcana proprietate, hominem ditare poſſe uideretur: una tamen omniũ maximè filix me fefellit tanta ſui ſeminis apud omnes prædicatione & fama, ut penè prouerbij loco uulgatũ ſit, eum qui illius ſemen Iunio menſe collectum ſecum tulerit, nũquam pecunia cariturum. Thau. Feciſti ne periculum? Ch. Quid periculum? Ego planè expertus ſum, eum qui eiuſmodi ſemen habeat, ni aliunde ſibi conſultum ſit, non modo pecunia, ſed pane quoque cariturum: ut ipſe perquàm egregiè famẽ ſentiat, algeatq́;, necnon & rerum omnium penuria contabeſcat. Thau. Hoc ſemine agros meos cõſerere nolim. Porrò dum pertinaciſsimã iſtam tuam in tentandis atque experiendis rebus inſtantiam recogito, ingens animum meũ ſubit admiratio. Chry. Quid ſi addiderim alia ijs quæ ſupra retuli minime inferiora? Neque enim hic mihi fuit inſaniendi finis. Thauta. Nullo adhuc au-

diendi tædio affectus ſum:proſequere ad
calcem uſq; , & quod ſupereſt expedi.
Chryſo. Audiſti quemadmodum in Gal
lia res meæ ſe habuerint, ubi aduerſan-
te fortuna omnia mihi importuoſa fue-
re. Atqui ego cernens me in ijs oris neq;
uadum, neq; fidam ullam ſtationem
uſquam potuiſſe inuenire, non inutile fu
turum arbitratus fueram, ſi tranſcenſis
alpibus in Italiam me conferrem: quæ
omnibus ad quiduis audendum & mo-
liendum artibus, necnon præſtantiſsi-
mis ingenijs egregie conſita eſſe fereba-
tur: & quidem primũ ipſe in agro Thau
rinate ſubſedi, ubi Gallorum militũ prę-
ſidio multa oppida tenebantur, atq; ij qui
dẽ totos dies noctesq; aleę ludo uacabãt:
itaq; poſtridie q; ego aduentaſſem, conti
git ut quidã quadringẽtos & eo amplius
coronatos lucraretur: quod cũ ipſe anima
uertiſſem, hanc unam ad diteſcẽdũ uiã ex-
peditiſsimã fore iudicaui. Verũ haud
multo poſt cũ ille iterũ in ludũ deſcẽdiſſet,

& non ſolùm id quod antè lucratus fuerat, uerùm & ueſtem, omnemq; ornatum amiſiſſet, atque ita miſer abijſſet: eo doctus exemplo mutata ſententia id genus quæſtus uehementer ſum deteſtatus, hos mecũ ipſe uerſus ſæpe repetẽs:

Si quis habet nũmos ueniẽs exibit inanis:
Nullus ubiq; põt felici ludere dextra.

Cęterùm dũ illic agerẽ, pleriq;, ut militiæ nomẽ darẽ, mihi perſuadere conabantur, quod dicerẽt idipſum uitę inſtitutum nõ modò ad liberè uiuendum, uerumetiam ad non mediocres facultates comparandum quàm maximè eſſe accommodatum: facile enim fore hoſtiũ ſpolijs ditari, aut capto ex aduerſarijs quopiam, redemptionis eius precio locupletari aiebant. Verùm ubi ſæpe leuibus commiſsis cum propinquo hoſte prælijs non paucos cecidiſſe, alios grauiter uulneratos, uix tandem euaſiſſe conſpexiſſem, atque identidem nonnullos ab hoſtibus captos,

quoſdam etiam ſpoliatos didiciſſem: hem inquio, quale iſtuc eſt uitæ inſtitutum? certè hoc ipſum non ad liberè uiuendum, ſed ad ocyſsimè moriendum expeditam mihi uidetur habere rationem. O quàm ſtolidum eſt huic quæſtui fidere: cùm hi qui ſpolijs inhiant alienis crebrò ipſi ab alijs ſpolientur. Profectò in tam ancipiti Martis euentu nemo ſibi uſqueadeò uictoriam repromittere debet, ut de diuidundis ante cõfectum bellum exuuijs ſibi cõſultandũ exiſtimet: neq; enim, niſi capta prius & mactata fera, de uenũdanda pelle tractari oportet. In ſumma ego artem illã meis rationibus minimè conducere arbitratus ſum, quæ ferro potius quàm auro niteretur: nec illis ſpolijs inhiandum cẽſui, quæ non aliter, quàm proprij ſanguinis, atque etiam ipſius uitæ diſcrimine pararentur. Planè cùm aliquibus uiſum eſſet, percõmodum fore in Liguriam proficiſci, ubi maritima cõmercia ingenti hominum quæſtu ſolent exerceri: ad id cõſiliũ

Græco illo uſus ſum apophthegmate. Ego inquam non attendo felicitati, quæ pēdeat ex funibus. Nec ingenio meo gratum eſt illic uerſari, ubi quatuor tantùm uel quinqꝫ digitis uita diſtat à morte. Cæterùm nulla ſatis cōmoda uiuendi & proficiendi conditione in ijs ſubalpinis locis reperta, à Thaurino ad Mediolanum demigraui: ea eſt Inſubrium metropolis, in qua paucos moratus menſes, & familiaritate cum accolis contracta, percontari ab illis cœpi, quænam illis optima uideretur augendarū facultatū ratio? Ad quod illi aiebant & ingenuè fatebantur ſe certè nullam amplius huiuſce rei peritiam habere, uerùm compendioſam ad egeſtatem uiam ſibi probè notā eſſe, ſcilicet ſi Hiſpanos milites diutius quis domi alat. Cūqꝫ ipſe requirerem, num illis commodiores Galli uiderentur? illi aiebant Gallos quidē aliquātò lucroſiores, ſed Hiſpanos lōgè pacatiores eſſe. Atqui ſi uera fari liceret, commodiſsimum ſibi uideri utriſque

carere. Th. Diutius ne in ijs oris ſubſtitiſti? Ch. Haud ſanè multũ: nam cùm animaduertiſſem illic homines phlebotomia ut medicorum utar uocabulo & adhibitis ſanguiſugis minui, arbitratus ſum eã minimè ſalubrem eſſe regionem: Proinde pauculos tantùm ibi moratus dies ad Tuſcos profectus ſum, gẽtem mediusfidius incredibili ſolertia opes uenari ſolitam, & ad omne lucri ac quęſtus aucupiũ ſuapte natura inſtitutã, inſuper quibuſq; gerẽdis rebus, & negocijs exercẽdis ualde accommodatam, ſagacem, acutam, impigram, ſolertẽ, & ad hęc, quod maximi faciundũ eſt, bello ſtrenuam. Certè nõ alibi frugalitatis academia pręſtantior, neq; parſimonię ſchola melior: quãobrem ipſe optimã ſpem cõceperã, futurũ ut nõ niſi in diteſcẽdi arte apprimè eruditus planeq; cõſummatus inde migrarẽ. Porrò ubi ad præclarã quandã eius regionis urbem peruẽniſſem, nactus hoſpitem ſatis pro loci cõditiõe humanum & affabilem: poſt dies

aliquot quàm applicuiſſem familiariter illi meam omnem ſolicitudinẽ curamq́;, necnon per me ſuſceptæ peregrinationis cauſam detexi, atque rem totam aperui. Quo intellecto, ille ait, quid ita bone uir te ipſum hac in re ſtulto labore maceras? Non eſt Gallorum proprium opes aceruare, ſed prodigere potius ac diſpergere. Apud uos ille pro nobili non habetur, cuius ſumptus cenſum non exuperat. Quòd ſi quis rem domeſticam bene procuret, ſi uineam egregiè foſſam & cultam habeat, ſi agrum, uel fundum induſtriè conſitum, ſeptum, ædificatum poſsideat: hic totius ferme nobilitatis cenſura quaſi ignominia quadam notabitur. Paucíſsimi certè ſunt, qui ſe, & ſua conſilio regant: frugalitatem autem & parſimoniam tota uia ueſtri homines auerſantur, qui ſanè mores huic, quã requiris, diſciplinæ minimè conſentanei ſunt, ſed planè ex diametro cum illa pugnare intelliguntur. Contra quæ ego.

Non

Non æquidem inficior mi hoſpes, eam olim fuiſſe noſtrorum hominum conditionem : at noſtro hoc ſæculo Gallica gens nouos induit mores : nam neque in conſilijs capiundis, quemadmodum antiquitus ſolebant, præpropera & feruida leuitate, neque in rebus gerendis negotijs'ue adminiſtrandis inconſulta pręcipitatione amplius utuntur: frequentes igitur, inquit ille, clades uos fecere cunctatores, & præter morem cautiores reddidere. Non ſatis inquam, ſcio unde profecta ſit mutatio, uerùm quicquid in alijs ſit rebus, certè, quod ad rei familiaris procurationem attinet, minimè dubium eſt Aruernos, Lemonicos, Cenomannos, Rhedones, Maſsilienſes, Narbonenſesq́ue, qui Galliæ populi ſunt, ita natura inſtructos, ut ſemper belliſsimè nouerint quærere, & ſeruare. Cur ergo, inquit, non potius ab illis artem mutuatus es? ideo certè inquam

quòd ueſtrũ hac in re nomẽ ubiq; clarius ac celebrius eſt: & ,ni mendax eſt fama, uos ipſi reliquos omneis mortales in ea diſciplina longè ſuperatis. Si res, inquit, ita ſe habet, lætor admodùm tã præclarã de nobis apud exteros uulgatã eſſe opinionẽ. Cæterùm non una peræquè ab omnibus Ethruſcis probatur augẽdarũ facultatum ratio. Ego certè totius artis ſummam in eo ſitam eſſe arbitror, quòd uigilando, agendo, benè conſulendo proſperè omnia ſuccedere ſolent: ſi quod præterea eſt itineris compendium, ab alijs ediſcere pergas. Hoc itaq; primùm cum hoſpite meo habito colloquio, dum illuſtria ipſius urbis loca inuiſere cupio, fanum quoddam ingreſſus, inter multa quæ ibi ſpectatu digna erant, dextrorſum admotis oculis egregia & diues quædam mihi occurrit pictura, in qua clari neſcio cuius uiri imago ſupplicantis atq; orãtis ſpecie cernebatur: & quidem uerba ex ore ac labijs prodeuntia ſurſum tendere, & recta

159

in Deum ferri uidebantur. Cæterùm ex ſupplicantis ipſius cerebro innumeri prodibant radij, quorum alij Romam, alij Biſantium, alij Alexandriam, alij Venetias, alij Lugdunum, alij alia ſpectabãt loca, in quibus idem ipſe uenales merces habebat: Præterea alij in refertos auro loculos, quidam in uillas & prædia, quidam etiam in naues quaſdam intenti conſpiciebantur. Omnia ſingulari arte, mirificoq; ingenio expreſſa, ut quaſi loquente pictura intelligi poſſet uirum hunc, quiſquis ille fuiſſet, oris quidem & labiorum officio Deũ coluiſſe, mente uerò multifarios quæſtus agitaſſe, ſicq; uaria negociorum genera exercendo in magnam potentiã euaſiſſe, necnon pluſquã regias opes ſibi cõparaſſe. Oculis igitur eo ſpectaculo ſatiatis, mecum ipſe ita fari cœpi. Hîc etiam ipſi parietes loquũtur, & eam quam ego uenor artem picturæ docent, modò tamẽ omnia rectè. Dehinc in plateam progreſſus, non procul ab optimatum palatio

tabellam quandã conſpicatus ſum, in qua depicta uiſebatur arca aureis nummis re- pleta: & in eius operculo adſcriptũ erat, lucrum. Atqui ſecus arcam ipſam homi- nis effigies cõſpiciebatur, in cuius ſinu ac pectore ſcriptum apparebat, damnum. Quo equidem figmẽto paululum medi tato, intellexi hunc eſſe picturæ ſenſum, quòd lucrum in arca plerunq; damnum in conſcientia pariat. Cęterùm in ſuperio re tabulæ parte diuina hæc uerba aureis li teris erãt adnotata. Quid prodeſt homi- ni ſi mũdum uniuerſum lucretur, animæ uerò ſuæ detrimentum patiatur? Conuer ſa ſubinde ad læuam facie altera, ſeſe obtu li pictura tali, ſi bene memini, commẽto. In tabulæ medio pauperis atque pannoſi hominis imago depicta erat: deliberanti, aut ſtupido ſimilis, uultu in ſiniſtrã uerſo qua parte ſtabat alter, qui formicã ſimul & uenaticũ canẽ porrecto indice demõ- ſtrãs prodẽtibus literis ſic aiebat: Tu qui citò diues euadere quæris, habeto formi-

cæ corpus, & animam canis. Verba qui-
dem ipſa nõ metrica ratione, iuſto'ue car-
mine, ſed uulgari quodam rithmo conclu
ſa erant. Porrò ad dextram ſtabat uir ana
chorita hiſpido pallio, promiſſaq́; barba
horridus, qui mortui hominis caluariam
oſtentans, ita fari ac monere uidebatur,
Memorare nouiſsima tua. Hac itaque re
prolixius, uti merebatur, cõſiderata ac me
ditata, cùm adueſperaſceret domũ redij,
multa animo uoluens, uariaq́; mecum
ipſe uerſans conſilia. Atqui cum hoſpi-
ti meo cuncta quæ per urbem obam-
bulans uidiſſem, quæq́; mihi memora-
tu digna uiſa erant enarraſſem, atque me
picturis illis uehementer delectatum di-
xiſſem, ille & alias perelegantes tabel-
las ſe mihi oſtenſurum ſpopondit: ita-
que poſtridie ocium nactus, me in locu-
pletiſsimi cuiuſdam ciuis ædes deduxit,
in quibus plæraque regiæ magnificen-
tiæ proxima uiſebantur. Cæterùm illic
una me præcipuè tabula diſtinuit, in

qua ingens mortalium omnis generis ac conditionis turba depicta erat, uirorum ſcilicet ac mulierum, iuuenum ſimul & grandæuorum, in quibus omnigenæ ferme religionis profeſſores, item reges, imperatores, duces, milites, ac principes, Itali, Galli, Hiſpani, Germani, cæterarumq́ nationum populi, Ethruſca tantùm gente, & ijs qui Romanæ curiæ officia exercent, dũtaxat exceptis. Eminus autem pro ſcopo aurei atq; argentei nummi inſigni ſpecie pendebãt, in quos certatim omnes tenſis arcubus tota cõtenſione, & quanto maxime poterant conatu ſagittas deſtinabant, in eumq́ ſcopum cuncti ferebantur. Supernè uerò ſcriptũ legebatur: hoc mortalibus omnibus ſtudium. Equidem in ſagittariorum ipſorum uultu cernere licebat, quanta quiſq; cupiditate mouebatur, quantoq́ affectu huic rei operam dabat. Illud autem præcipuè riſum ſpectantibus eliciebat, quod ij quorum ictus à propoſito ſcopo aberrabant, longiusq́ ferebantur.

tur, ore mœrorem prodebāt, miriſq; geſtibus ſe magno dolore affectos eſſe ſingulari pictoris arte & ingenio ſignificare uidebantur. Ego quidem eo uiſo ſpectaculo arriſi leuiter, neq; enim mihi ſatis ampla ſuberat ridendi materia, quòd intelligerem me ex eorum eſſe numero, qui ſcopum illum attingere non poterant. Huic uerò tabulæ alia inſuper non inelegans coniuncta erat, quæ hominem turgida nummaria theca ſtantem repræſentabat: hinc autem atq; illinc permulti aderāt, ex quibus ij qui in dextra locati erant extenſis palmis paratiſq; ad capiendum manibus nonnihil ab illo poſtulare, qui uerò in ſiniſtra ſtabant, munera illi offerre uidebantur. Cæterùm ille auerſo ab ijs qui ipſum rogabant uultu, eoſ qui munera præferebant læta atq; hilari fronte excipiebat, ipſoſq; blandè amplexábatur. Præterea idem ipſe uim magnam laqueorum & caſsium humeris ferre uidebatur hac inſcriptione, Ex‑

tendite

tendite retia in capturam. Inſuper & forfices geſtabat, quibus aſcriptum erat, Boni paſtoris eſt pecus tondere. Eius uerò tabulæ talis erat ſubſcriptio. Hiſce artibus marſupia farciuntur. Omnibus igitur quæ in ædibus ipſis erant accuratè luſtratis diligenterq́ꝫ conſideratis, hinc digreſsi in aliam ornatiſsimam deuenimus domum, in cuius atrio porticus ingens uarijs ſignis tabulisq́ꝫ illuſtrata conſpiciebatur: ſed in primis, quod ad negocium attinebat, non ingrata mihi fuit pictura quædam, qua ſimulacrum hominis in biuio ſtantis ita expreſſum erat, quaſi ille anceps, & in deliberando ſuſpenſus eſſet, utra ſibi eligenda uia foret. Porrò alteram Chriſtus ſeruator, alteram impudica Venus obſederat: atqui non procul ſtabat quidam, qui talibus illum uerbis admonebat, hic te ligabit: illa te ſpoliabit. Qua ex re mihi uiſum eſt ſignificari neque ſanctimoniæ, neque uoluptatis

ſemitam ad augendas facultates eſſe accommodatam. In ea quoque ipſa porticu conſpicuo loco Apellea propè manu & arte depicta erat tabula, quæ perpulcra ſpecie figmentum eiuſmodi exprimebat. Effincti erant duo uiri, quorum ſuum quiſque ante ſe ſtatuerat pecuniæ aceruum: uerùm alter permagnum, alter ualde exiguum. Porrò is cui maior aderat facultas, in curuos digitos ungues uerò bubulis cornibus ferme æquandos habebat. Contrà ille qui minimam poſsidebat ſubſtantiam, unguibus quàm arctiſsime putatis expãſas latè palmas oſtentabat. Quid autem hoc commentum ſignificaret ſubiectæ literæ indicabant ijs, quantũ memini, uerſibus:

Si cupis ingentẽ citius cõponere aceruũ,
Vnguibus intõſis ſit tibi adũca manus.

Cùm autem & alia quædam ſcriptura ſuperne adiecta eſſet, ridiculum fuit quod ubi ſcriptum erat, documẽtum uerè

rè Plutonicũ ego pro Plutonico legebã Platonicũ. Quo audito hoſpes ille meus in riſum ſolutus eſt, terſioribus uerò ſubinde perſpicillis ipſe rem intuitus erratum agnoui, & nõ Platonicum, ſed Plutonicum documentum ſcriptum eſſe perpendi. Longum nimis eſſet ac tædioſum cętera omnia referre quę illic uiſebantur. Planè dum attentius omnia oculis luſtraremus, forte tũc ibi appullit uir quidam optimis, ut uidebatur, literis imbutus: cum quo de hiſce rebus diu familiariſsimè collocuti fuimus. Atqui eius hæc erat ſententia, uix quenquam magnum hærbarum faſcem repente poſſe colligere niſi ille ad omnem occaſionem peruigil ac paratus quicquid illi in manum ueniſſet, nullo delectu decerperet. Senecę quoqꝫ teſtimonio aiebat Demetrium quendam dicere ſolitum, facilem ſibi fore ad diteſcendum uiam, quo primùm die ipſum bonæ mẽtis pœnituiſſet. Soluto deinde colloquio receſsimus. Ego uerò impenſam fugiens

que

161

uæ illic grauior eſſe ſolet, paucis interie-
tis diebus abij. Et hæc ferme ſumma eſt
erum per me in Ethruria geſtarũ. Poſt-
eà pedeſtri itinere Romam perrexi, ubi
certè nihil quod ſtomacho meo arrideret,
inueni, Iudæum tamen quendam illic con
ueni, ſperans ab eo præſidium aliquod
quo grauem hanc paupertatis ſarcinã ele-
uare poſſem, me accepturum: etquidem il
le mihi perſuadere conatus eſt, ut familia-
rem dæmonem annulo incluſum certo
precio emercarer: quo conſulto, ueluti o-
raculo quodam reſponſa dari, atque de ijs
omnibus quæ ad captanda lucra, & dam
na uitanda pertinerent hominem pręmo
neri ille cõſtantiſsimè affirmabat. Thau-
tanus. Iſtud ad rem familiarem augen-
dam non mediocris uidetur eſſe momen-
ti: proinde exiſtimo te huic conſilio faci-
lè animum adieciſſe. Chryſophilus. Mul
ta quidem non modò me ad id experien
dum inuitabant, ſed etiam uehementer
impellebant. At uerò internus quidam

mentis ſcrupulus id uehementer diſſuade bat, mihiq́ terrorem incutiebat, qua de re uerebar, ne hinc mihi graue aliquod peri culum impendêret. Quis enim ſapiẽs inſenſiſsimo hoſti credere debeat, aut familiarem inimicum domi habere tutum exi ſtimet? Equidem perſuaſum habebã hoc genus ſpirituum hominibus eſſe perniciolisſimum, ſemperq́ in noſtrum exitium nonnihil machinari, & omnibus in rebus inſidias mortalibus moliri: neq́ ue rò uno exemplo deprehenſum audieram eos qui eiuſmodi portentis fidant miſerri mo exitu uitam finire ſolitos: Quamobrẽ eo cõtubernio abſtinere ſatius duxi. Th. Dij talem auertite peſtem. Certè dignũ eſt ut præpoſtera conſilia infelicem exitũ ſortiantur. Chryſophilus. Hic ipſe præterea caballeæ artis magiſter optimum ad diuitias compendium eſſe dicebat fœnus exercere, cuius rei innumera exempla in medium afferebat. Thautanus. Hic proculdubio frequentiſsimus eſt ho-

die quęſtus. Chryſophilus. Memineram me aliquando legiſſe Catonem olim interrogatum quis eſſet certiſsimus quæſtus? reſpondiſſe, bene paſcere: quis ſecundus, mediocriter paſcere: altero uero dicente, quid fœnerari? illum ſubiunxiſſe, quid hominem occidere? Thautanus. Probum eſt Catonis conſilium, diuinoq́ præcepto conſentaneum: quo ſancitum eſt, Ne fœneremur. Tum & illud certum eſt, quòd malè parta malè dilabuntur. Sed quid præterea Romę abs te nauatum? Chryſophilus. Nihil reticebo, Adij ſubinde ſtrigem ac ſortilegam anum quæ mihi pollicita eſt, ſe ſuis artibus effecturam, ut mandragoræ radicem nanciſcerer, ad augendas opes uti illa aiebat, ſine controuerſia efficaciſsimam. Etquidem uulgatũ eſt hanc ipſam radicem quaſi expreſſo uiri aut mulieris ſimulacro eſſe deformatam, & ea quidem ui prędită, ut quiſquis illam habeat, rebus omnibus pro uoto ſuccedentibus

repente locupletetur. Quid multa? idolũ habui, & honeſto loco repoſui: iamiamq́ ipſe mihi pulcrè uidebar locupletatus: uerùm ubi diutius animo ea ſuperſtitione detento rerum euentum ac ſucceſſum expectaſſem, tandem re ipſa diligentius cõſiderata atq; animaduerſa deprehendi nõ ueram radicem, ſed figmentum eſſe uarijs arundinum bulbis fibrisq́ artificio quodam iunctis atq; iterum terræ mandatis coagmentatum quapropter multis ſagam illam execrationibus perſequutus ludibrium illud in cloacam abieci. Cæterùm tot infeliciter atq; inutiliter tentatis rebus, cùm me nihil proficere cernerem, & propterea de reditu in patriam cogitare cœpiſſem, quidam ſecretò mihi faſſus eſt ſe ſcire artem, qua minimo labore adulterina pecunia conficeretur ea quidem ſpecie ac forma, ut nullo penè ingenio à uera diſtingui poſſet: quam ad rem quoniam idoneum iamq; locum, & aptiſsimã officinam nactus erat, fideli tantùm ſocio ſe

163

indigere dicebat: quòd ſi ego me illi comi-
tem adiungere uellem, breui futurum af-
firmabat, ut ambo ampliſsimè ditare-
mur. Atqui hoc facinus mihi grauius at-
q; ponderoſius uiſum eſt, quàm ut repen
te ac indeliberatè quis illi aſſentiri debe-
ret. Interea uerò ille ob criminis ſuſpicio-
nem in carcerem coniectus ac deinde con-
uictus poſt aliquot dies capitali ſuppli-
cio affectus eſt, & id quidem me ſpectan-
te, ac dicente, melius eſt pecunia carere,
quàm uita. Hic, quantũ cernere licet, im-
punius eſt fœminam adulterare, quàm
pecuniam. Iam tẽpeſtiuum eſt receptui
canere, tædioſisq; tandem narrationibus
finem facere: uerùm, quod in meis errori-
bus poſtremum fuit, ſilẽtio præterire no
lim, fama eſt in Italia celebris apud Nur
ſinos Vmbriæ populos præcelſum eſſe
mõtẽ, in quo ſibyllę cuiuſdam antrũ eſſe
dicitur mira hominum prædicatiõe: quip
pe ferũt in antro ipſo ſiue ſpecu nymphas
quaſdã ab ijs qui ingredi auſi ſunt fuiſſe

cõſpectas,eosq́; qui penitiora antri ipſius loca adiuerant ab heroinis illis non ſolùm precioſiſsimis muneribus donatos extitiſſe,ſed etiam diuinas quaſdam dotes accepiſſe,quibus afflati proſperos omnibus in rebus ſucceſſus, & ſingularem in gerẽdis negocijs felicitatem poſtea habuerant. Hęc autem tametſi mihi fabuloſa uidebãtur, attamen tanta loci propinquitate nõ committendum exiſtimaui, ut culpando neglectu rem inexploratam relinquerẽ: itaq; per Aquinates profectus cũ in propinqua eidem monti loca perueniſſem,ex regionis illius accolis quàm potui ſagaciter rei ueritatem percontari cœpi. Et ipſi quidem famæ conſentanea loquebantur, uerùm aiebant propius ad montem accedendi nullam extero præſertim homini facultatem dari. Enimuero circunquaque omnia longe latèq́; montoſa, ſquallida, inculta, ac deſerta, ſolisq́; duntaxat feris peruia eſſe: quanquam ibi aliquando robuſtiſsimi ac ferociſsimi quidam paſto-

res gregẽ paſcere dicantur. Porrò à mõ-
tis ipſius radicibus ſurſum nitẽdo duobus
ferme paſſuum milibus Stygius quidam
eſt lacus dæmonibus infamis: nempe ſi in
aquã lapis cõijciatur, ſtatim ingẽtes pro-
cellæ, atque atræ nubes, & tempeſtates
exoriũtur, quę omnẽ undiquaq; regionẽ
obruunt atq; peruaſtant: ab eo item lacu
iugum exurgit non paucorũ ſtadiorum
altitudine ſuberectum, idq; aditu perquã
difficile & arduũ, propterea quòd aſper-
rimus eſt aſcẽſus, & locus admodũ deue-
xus caluitie & nuditate deformis, nulla il-
lic uirenti ſtirpe: tum etiam is frequẽtibus
ſcopulis & ſaxis eſt impeditiſsimus, et ad
hæc improbè flantibus ac reflantibus uẽ-
tis undiq; expoſitus. Cęterũ procul ſpectã-
tibus quantũ intẽta oculorũ acie ſpeculari
licet, famoſi illius antri fauces olim, ut fer-
tur, Romãi põtificis iuſſu cõgeſtis lapidi
bus obſtructę apparẽt. Sublata igiť pro-
pius adeũdi facultate, atq; etiã rerũ omniũ
penuria urgente miſer, inops, pannoſus

& famelicus domum rediј:& queadmo-
dum ipſe uides in proprio lare ærumno-
ſam tolerans uitam conſenui, & quidem
nunc utcunq; pro temporum conditione
tot fruſtra tentatis rebus non ſpe, ſed pa-
tientiæ uirtute ipſe me ſuſtento, & iam
miſeriarum aſſuefactione obduruiſſe ui-
deor. Habes mi Thautane omnium per
me geſtorum ſeriem atq; hiſtoriam or-
dine enarratam: habes ut nouercantibus
uentis, & Aeolo furēte omnia mihi ubiq;
fuerint importuoſa, utq; omnes mei cona
tus in cōtrarium ceſſerint. Audiſti ut ipſe
dum compendia quæro, diſpendia inue-
nerim. Quid ultra excogitari potuit,
quod non ipſe tota contentione efficere
pertentarim? Vide quæſo te, quātū abſit
ut tua illa ſententia probari debeat, qua aſ
ſerere auſus es ununquemq;, ſi uelit, facilè
ditari poſſe. Thau. Video planè dulciſ-
ſime Chryſophile multis te moleſtiјs fuiſ-
ſe implicitum, ac grauiſsimis laboribus
maceratum: ſed diј boni quàm auerſis à

recto tramite uſus es cõſilijs, & quàm præ
poſtera inceſsiſti uia? Chry. Quodnam
aliud eſſe poteſt ad diteſcendũ iter? Th.
Impeditiora & deuia ſequutus es: proin-
de nil mirum ſi ipſe ad optatum ſcopum
pertingere nequiueris. Chry. Nihil uſquã
quod ad rem facere poſſet à me præter-
miſſum puto: neque ulla cogitatione aſſe-
qui ualeo quænam alia ad diteſcendum
pateat uia, niſi fortè per nefas, aut ocultã
quampiam iniuriam impune quiſquam
graſſari poſſe credatur. Thau. Ne te mul
tis morer uerbis, una tantùm & ſola qua
diteſcere ualeamus ratio eſt, & ea quidem
ipſa ſine noxa, ſine iniuria, ſine offenſa, mi
nimo negotio, plana, aperta, expedita, &
quàm maxime compendioſa. Chry. Ego
quid hoc rei ſiet ſuſpicari non poſſum, ue
rùm ſi hoc uerum eſt, profectò non dubi
tarim artem hanc uel ſcientiã cunctis quæ
ſub uaſto ſunt cęlo rebus haud dubiè eſſe
anteponendam. Thauta. Quid ni? neque
enim ulla ſine hac re homini poteſt aſcri-

bi felicitas.Chryſ.Per ſuperos omneis te oro,precor,obſecro,obteſtor mi Thautane,ne diutius rē protrahas, néue me ultra ſuſpenſum teneas,quin maximum hoc ſecretū properè mihi retexere pergas:ego enim expectatione atq; protelatione ualde crucior.

THau.Haud quaquā certè patiar te lōgioris expectationis tædio fatigari: etquidē quātū opinor,tu minimè inficiaberis quod apud omneis teſtatiſsimo prouerbio uſurpatur,Eū ſolū eſſe diuitē qui ſuis rebus cōtētus ſit.Ch.Id profectò nō auſim ire inficias.Th.Exiſtimo te et id quoq; cōceſſurū,in cuiuſq; arbitrio poſitū eſſe,uelit ne eo quod habet cōtētus eſſe. Chr.Nec hoc certè negauerim.Th.Bene habet.Iā ijs accuratè expēſis atq; cōſideratis,perſpicua illatiōe per te ipſe colligere potes,quàm facilè quiſq; ditari ualeat: Etenim quiſquis ita animū cōpoſuerit,ut ſua ipſe cōditiōe uelit eſſe cōtētus,hic ſine cōtrouerſia protinus diues euadit:nec du-

166

biũ quin idẽ quoq; ipſe felix & beatus iudicari debeat, quippe qui optatiſsimę trãquillitatis ſtatũ nactus ſit: que ſanè res diuinã quãdã beatitudinẽ & felicitatẽ homini parere cõſueuit. Ch. Hîc me mea cõfeſſiõe uideo proditũ. Th. Nolim ſophiſticis retibus, aut argutijs te captũ putes: abnega & retracta quæ faſſus es, ſi inoffenſa ueritate id poſſe uideris, elabere, & te extrica: per me certè licet liberam fugam capias, nihil impedio: uide ſi quà tibi exitus pateat. Quid muſsitas? Chryſophil. Meditor ſi quo pacto me ab ijs pedicis queam eximere; ſed nullum uſquam cerno effugium. Thauta. Deſine meditando torqueri: profectò in noſtra poteſtate ſitum eſt, ut eo quod habemus contenti eſſe uelimus. Et quoniam ille diues eſſe intelligitur, qui contentus uiuit, profectò conſequens eſt, ut ſua quiſq; uoluntate ditari poſsit. Proinde ſupereſt tantùm, ut cõtenti ſimus, & diuites erimus. Certè hæc ſola eſt ad diteſcendum uia: quãquã

etenim quanquam uulgaris opiniõis atq; reputationis abuſu ij qui opibus affluunt diuites appellantur: attamẽ id ita demum uerum eſſe intelligitur, ſi ipſi eo quod habent contenti fuerint. Enimuero qui ſuam ſortem (quod ad externas res attinet) nõ ęquo ac placido fert animo, is proculdubio nulla ratione diues cenſeri poſſe uidetur. Nempe ea nũcupatio quæ, uti Varro tradit, à diuo deducta, & mutuata exiſtimatur, illi tantum accommodãda eſt, qui quaſi Deus quidam terreſtris cõtento uiuit animo, nec improba cupiditate torquetur. Quis autem ſano præditus iudicio diuum aut beatum illũ putet, qui tametſi ipſe multis facultatibus abundat, tamẽ quàm minimum ſe habere exiſtimãs, dura ſemper auri fame atque inexplebili augendarum opum cupiditate contabeſcit, ſemperq; magis ac magis habendi deſiderio æſtuans miſerrima ſiti conficitur atq; cruciatur. Profectò ſola, ut ita dicam, animi acquieſcentia hominem ditat beatq;.

Quocirca

Quocirca non ex facultatum abundãtia, ſed ex æquanimitate diuites æſtimandi ſunt:nemo enim ob id ſolùm quòd multa poſsidet diues eſt,niſi ad hoc illa, quæ certè hac in re præcipua eſt, mẽtis temperies acceſſerit. Ex quo apparet uulgarem illã nomenclaturam, qua ij qui immodicas opes nacti ſunt diuites appellantur ab opinione potius quàm à ueritate ortam extitiſſe; & neque ratione, neque iudicio, ſed abuſu firmatam:proprium autem cuiuſq; ſuijpſius eſt iudiciũ, an ipſe diues exiſtat: quod certè ex eo metiri poteſt,ſi ſe ipſe cõtentum eſſe intellexerit:proinde cùm id in mentis ſcrinio maneat reconditum, profectò de hac re alius de alio minime certam poteſt ferre ſententiam. Chry. Ego cum me diuitem eſſe uelle dicerẽ, haud dubiè de habẽda facultatum copia ſentiebam, quæ proculdubio res quocunq; nomine cenſeatur, & ſiue opinioni, ſiue ueritati inhæreat, mortalibus gratior eſſe ſolet. Th. Vt ipſe diuerticula quæris; facultatũ quidem

dem copiam ſcio mortalibus eſſe gratiſſimam: ſed, quēadmodum diximus, niſi animus in eo quod adeſt acquieſcat, et ea, quam habet, copia contentus ſit, fateri neceſſe eſt hominem non modò non eſſe diuitem, ſed etiam miſerum iure exiſtimari debere: etenim qui diu noctuq́ cupiditatibus angitur, cruciatur, torquetur, pernicioſisq́ affectibus miſerrime inſeruire dignoſcitur, hic profectò miſer eſt. Quiſquis autem famelicorũ & inſatiabilium hominum ſtatũ cenſuerit eſſe probandũ, hic certè inſulſiſsimus ac dementiſsimus eſt. Planê quēadmodũ æquanimitas & tranquillitas hominē beatũ, & quodāmodo diuum ac felicem facit: ita mētis inquietudo quæ ab inexhauſto habendi deſiderio, & inexplebili quadā ſiti proficiſcitur, magnam infelicitatem parit. Nemo certè opinor, inficiabitur eum qui ſua cōditione contentus eſſe nouerit, & quancũq́ dederit Deus ſortem boni conſuluerit, felicem & beatum eſſe; contrà illum infelicē,

qui id ſibi imperare neſciuerit, ſed ſemper maiora cupiendo miſerrimè uitam attriuerit. Aglanum Phſophidium ſenem legimus olim quodam oraculo regibus opulentiſsimis feliciorem ac beatiorem iudicatum: quòd in Arcadia exiguum colēs agrum nūquam ex eo egreſſus, ſua ſorte contentus uiueret, nihilq́ amplius requireret, quàm quòd ſibi agellus diligenti cultura ſubminiſtraſſet. Regusta quęſo te, pauliſper quot ac quātis ipſe te hactenus angoribus ac calamitatibus implicueris, quàmq́ grauibus ac moleſtis curis, atquę ſolicitudinibus, dum fugitiuas opes improbando cupiditatis ardore ſuccenſus tibi uenandas eſſe proponis: tu te ipſe maceraris: qua in re cùm nihil profeciſſe te uideas, neceſſe eſt uehementer angaris, atq; ob fruſtra ſuſceptos labores non mediocriter indoleas. Quòd ſi Arcadicū illum Aglanū imitatus id quod Deus dederat amputata cupiditate boni cōſuluiſſes, beatā proculdubio

uitam egiſſes:magno certè errore te implicitum uideo: quòd opes cupidius affectando,uenandoq́ quemquam diteſcere poſſe credas:non enim opes ſectando,uel auidius illas perſequendo, ſed in habitis partisq́ acquieſcendo, & cupiditati terminum,ſiué,quod aiunt,colophonem imponendo homines ditantur. Chry. Tu mihi ijs uerbis neſcio quid lucis infundis, & quadam ex parte me ſententiam mutare compellis.Cęterùm ualde nodoſum mihi uidetur, quòd tu cuiuis homini facile factu putas animo ſuo poſſe imperare, ut eo quod adeſt contentus eſſe uelit:quæ ſanè res mihi fieri poſſe non uidetur,ubi rei familiaris urget anguſtia: quis enim penuria & egeſtate preſſus ultro fateatur præſenti conditione & fortuna ſe eſſe contentum? Thau.Hoc profectò mi Chryſophile fatebitur quicunq; diues & beatus eſſe, uitamq́ feliciter traducere uoluerit. Quòd ſi fortè quis ſortem ſuam ægrèferendo, atque ob id ſeſe angoribus confi-

 169

ciendo cōtra ſtimulum calcitrare & oblu ctari maluerit, hunc ego cenſeo ſuo inge nio relinquendum, ipſe certè aliquando cognoſcet ſe non ſano uſum eſſe conſilio, dum ipſe ſibi ſua mala facere noluit gra uiora, quæ alioqui compoſito ad æquita tem animo haud dubiè læuigari potuiſ ſent. Equidem certum eſt inopiam malè toleratam ferreo iugo duriorem, necnon amarulentis quibuſq; ſuccis acerbiorem eſſe: ubi uerò tenuitas boni conſulitur: & exigua ruſtici panis buccella ſeduſis cupi ditatibus cum gaudio & hilaritate ſumi tur, nihil ſuauius, nihil iucūdius, nihil bea tius. Chry. Quid ſi tanta rerum tenuitas fuerit, ut ad honeſtè uiuendum neceſſaria deſint? Thau. Ad bene & honeſtè uiuen dum ea tantùm homini neceſſaria eſſe in telliguntur, quæ illi Deus largitur ac tri buit. Chry. Ergo clariſsimi illius Arpina tis ſententia improbanda erit, qui diuitis nomē in eum cadere cenſet hominem, cui tanta poſſeſsio eſt, ut ad liberaliter uiuen

dum facilè contentus ſit. Thauta. Quicquid orator ille ſenſerit, ego in ea definitione qualis uel quanta ſit hominis poſſeſſio, minime attendendum puto: ſed hoc tantùm in conſiderationem uenire debere exiſtimo, an is de quo quæritur ſuis quantuliſcunq; rebus contentus exiſtat. Quid enim ad rem attinet, ſi quis ob id fortè quòd ſine ſudore & labore ocioſus uiuere uelit, falſa reputatione dicat ſe niſi tali animo prouentu liberaliter uiuere non poſſe: cùm ſaniore iudicio cuiq; perſuaſum eſſe debeat uirtutem, diuina accedente gratia, ad bene uiuendum ſeipſa eſſe contentam, & ad ueram felicitatem aſſequendam non modò opes non eſſe neceſſarias, uerùmetiam ultro aſpernandas, & quò expeditius pergere liceat, reijciendas. Diogenes quidem ille Cynicus cùm quẽdam iunctis palmis aquam haurire, ac bibere conſpexiſſet, ſuperfluum exi-

ſtimaſi

 170

ſtimauit ſcyphum ferre, & habere, quòd huic rei natura proſpexiſſet: & hic quidem tametſi neq; domum, neq; prædium, neq; pecuniam haberet, ſe tamen ipſo Perſarum rege ditiorem eſſe iactabat, omnesq; Aſiaticas opes pro nihilo ducebat. Certè ipſæ Crœſi facultates, neq; aurei montes quemquam diuitem facere poſſe credendi ſunt, ſi quò plus ipſe poſsidet, hòc plus appetat, ſitiatq;, & inexplebili ſemper cupiditate uratur. Animo ut inquit Seneca, non patrimonio diuitiæ æſtimantur: & diuitem aliquem facit non multa poſsidere, ſed pauca deſiderare, animiq; ſui tranquillitatem, & quietem amplecti. Sanè ſi cui ſua non uidentur ampliſsima, hic profectò non diues, ſed miſer eſt, licet totius mundi dominus ſit. Profectò non qui parũ habet, ſed qui minus cupit diues & beatus eſſe intelligitur: hæc ille. Equidem quemadmodum in pleriſq; corporũ

morbis euenit, ſcilicet ut illorum curatio non adiectionibus, ſed detractionibus facienda ſit: ita in eo, de quo agimus, negotio ij qui ditari cupiūt nō tam ōpum additamento, quàm uitioſæ cupiditatis detractione id efficere debent. Chry. Neruo sè admodùm rem promoues. Thau. Repugnas ne adhuc, & contendis, ubi adeò claris oſtenſionibus tibi ueritas explanatur? Chry. Tu certè uehementer urges ac premis, & quaſi adhibitis uectibus fortiter impellis. Th. Profer ingenuè ſi quid eſt ſcrupuli. Chry. Cedo & quod ad diteſcendi rationem, modumq́ attinet, contentionem remitto. Verùm ne quid mentiar uel diſsimulem ego hoc uno in articulo tibi aſſentiri non poſſum, dum ſcilicet aſſeris facilè eſſe animo ſuo imperare, ut quāquam inopia & egeſtate quis ſe opprimi ſentiat, ſua nihilominus conditione uelit eſſe contentus. Thauta. Quid tu mihi de inopia & egeſtate moues cōtrouerſiam, cùm perſpicuū ſit locupletibus, quàm ni-

nil poſsidentibus maiorem plerũq; ſitim ineſſe: eorumq; qui multis iam facultatibus aucti ſunt mentes uehementius ardere, atque impotentius æſtuare: quò fit, ut ij qui nunquam tenuitatis terminos habẽdo exceſſerunt, longè facilius cõtenti ſint, & cupiditati pro rationis arbitrio frænos imponant: quod in ruſticis hominibus planè cernere licet: namque ipſi, quemadmodum Cato ſcribit, minus malè cogitãtes ſunt, & ut Maro prodidit, paruo ſe cõtentos eſſe teſtantur. Certè exiliores equi minore negotio frænantur: & humiliorũ hominum affectus læuiore conatu reprimi poſſunt: eorum uerò qui eminẽtiores ſunt auiditas intemperantior eſſe ſolet: ut non minus uerè quàm diſertè dictum ſit: Creſcit amor nummi quãtùm ipſa pecunia creſcit. Chry. Quicquid ipſe diſputando euincas, ego uix fieri poſſe arbitror, eum qui facultatibus careat habendi deſiderio, & cupiditate uacare poſſe: aut quòd ipſe contentus & ſatur ſit uſquam

fateri uelle. Thauta. Aduerte, quæſo te, quàm inconſideratè id pronunties. Neſcis de ſeruatore ſcriptum eſſe: Volucres cæli nidos habent, filius autem hominis nõ habet ubi reclinet caput. Audi Cepham illum Apoſtolici collegíj uerticem, Argentum, inquit, & aurum non eſt mihi: quod autem habeo hoc tibi do. Num tu hos cupiditatis arguendos opinaris? Quid de magno illo euangelicæ ueritatis præcone Paulo dicam, qui in hanc ſcribit ſententiam: Scio, inquit, & humiliari, ſcio & abundare, ubiq; & in omnibus inſtitutus ſum, & ſatiari, & eſurire, & abundare, & penuriam pati? De cæteris Chriſtianæ fidei, noſtræq; religionis proceribus ubiq; aperta ſe offerunt teſtimonia: ut meridiana luce clarius ſit, eos non ſolùm non inhiaſſe opibus, ſed etiam oblatas reſpuiſſe, uel quas prius habuiſſent, ſuberecta poſtmodùm in cælum mente egens largitos fuiſſe, atq; omnia reliquiſſe. Quòd ſi

externe

externa eorum qui tenuitatē opibus præ‑
tulerūt exempla recenſere uelim, dies pro
fectò me deficiet. De Cratete quidē, quod
iam ſuprà retulimus, conſtat illum ſcilicet
magnam auri uim in mare proieciſſe,
quòd exiſtimaret ad uirtutem capeſſen‑
dam aurum ipſum ſibi impedimento
futurū: atq; is, Suida teſte, illis tātùm opes
neceſſarias eſſe aiebat, qui uirtute uacui eſ
ſent. Bias uerò Prieneus cū capta patria
abiret, nihilq; uti cæteri exportaret, ſatis
oſtendit quàm paruo contentus eſſet, &
quàm nihil concupiſceret: omnia, inquit,
mea mecū porto: ſuā quippe ſubſtantiam
in uirtute, non in externis rebus ſtatuebat.
Socrates etiā tametſi ualde pauca haberet
tamē, ut Xenophō ſcribit, ſemper ſatis ha
bere uidebatur: atq; idē ipſe, ut eſt apud Ci
cerone, cùm in pōpa quadā ingēs auri &
argēti copia ferretur, q̄ multa, inquit, nō
deſidero. Xenocrates quoq; inſignis phi‑
loſoph⁹, ut ipſe Cicero refert ubi legati ab
Alexādro qnquaginta ei talēta attuliſſent

quæ erat pecunia illis temporibus Athe-
nis præſertim maxima, adduxit legatos
ad cœnam in academiam, iisq́ tãtùm ap
poſuit, quod ſatis eſſet nullo apparatu:
cumq́ poſtridie illi rogarent eum cui pe-
cuniã numerari iuberet, non intellexiſtis,
inquit, heſterna cœnula me pecunia non
egere. At uerò Diogenes ut cynicus Ale
xandro rogãti ut peteret ſi quid ſibi opus
eſſet, nũc quidem peto, ne mihi umbram
facias, paululumq́ à ſole ſecedas, offecerat
enim apricanti: & hic quidem diſputare
ſolebat quanto ipſe regem Perſarum ui-
ta fortunaq́ ſuperaret: ſibi enim nihil de-
eſſe, illi nihil unquã ſatis fore. Planè cum
phocioni Alexander cẽtum talenta dono
miſiſſet, atq́ ille reſpueret: & nuntii illius
domum ingreſsi domeſticam inopiam,
uel tenuitatem rerum eius conſpicientes
ſuaderent, ac importunius rogarent ut pe
cuniam acciperet, indignũ aſſerentes tan-
to uiro uitam uſqueadeò abiectam & ino
pem agere: conuerſus ille mendicũ quen-
dam

173
dam ſenem illis oſtendit, inquiens: Num me hoc homine uirtute inferiorē putatis? illis nihil reſpondentibus, atqui paucioribus ait, quàm ego uiuit ille, cui ſat eſt quantulumcunq; quotidianus uictus adijcit. Et quidem omnes niſi quos à recta ratione uitioſa cupiditas detorſerit, eodem quo illi animo eſſe poſſunt. Chry. De ijs qui ſua ſponte paupertatem amplectātur, eamq; ſibi ſectandam proponunt minimè cenſeo diſputandum: quandoquidem id uitę genus graue eſſe non poteſt, quod ſibi quiſq; propria uoluntate deligit: atqui in cæteris non eadem militat ratio. Th. Vera loqueris: ſed tamen hoc ſpectari oportet, quòd tametſi eos qui ultro ac ſuo ipſorum delectu terrena calcare, & proprietatem omnem reſpuere nolentes paupertatem profitentur, ſpeciale quoddam uinculum aſtringat: tamen hoc ipſum cum ab initio liberum eſſet, egregia animi uirtute ab illis fuit ſuſceptū. Cæterùm pręter ſpecialem hanc Philoſophandi uoluntatē

quã nonnulli ſua ſpõte ſuſcipiunt, & alia quædã ratio eſt ab omnibus generaliter obſeruanda: nempe quod Paulus ait ſe ſcire humiliari, & abundare, ſeq; ſic inſtitutum eſſe, ut & ſatiari, & eſurire, & copiam, & inopiam pati noſſet: quis ambigat hoc ipſum peræquè ad omneis pertinere, & à mortalibus omnibus obſeruari debere? Quid enim hoc aliud eſt quàm ſcire tẽpori cedere, & neceſsitati parere? quæ ſententia haud dubiè omnibus debet eſſe propoſita. Chryſo. Non ignoro, uelit quis, aut nolit, tempori cedendum, & neceſsitati parendum eſſe: ſed id plerunq; reluctante & inuito animo fieri certiſsimum eſt. Thauta. Quiſquis id inuitus facit, is Apoſtolum non imitatur, neq; illius ueſtigia ſequitur: operæprecium etenim eſt hominem ad hoc eſſe inſtitutum, atq; animo ita compoſitum, ut eam quam rerum omnium moderator ſtatuit ſortem æqua mente ſubeat & amplectatur. Chr. Non ergo egenis licebit optare

læriora. Thau. Licebit quidem, modò nihil anxius, nihil cupidius, nihil pugnantius, quin ſemper omnia diuinæ uoluntati committantur. Quæ res & terrenorũ affectuũ labem detergit, & patientiæ uirtutem fouet, atq; illuſtrem reddit, ſimulq; hominis animum relato in dei uoluntatem conſenſu quodammodo contentum eſſe demonſtrat. Quo in genere illud memorabile eſt, quod de Aegyptio quodã uitæ ſanctimonia cõprimis claro uiro ſcriptũ legimus, eũ ſcilicet cũ ualde inops eſſet, & rerũ omniũ penuria laboraret, aduerſa inſuper illũ ualetudine correptũ fuiſſe, proinde quòd cibo carebat, nec labore uictum ſibi parare poterat, à prætereũte quodam ſtipem petijſſe, & accepiſſe: poſtea uerò totius rei ſecum expenſa ratione, cenſuiſſe duplici de cauſa ſe Chriſto gratias agere debere: primum quidem quòd per inopiam uictusq; penuriam patientiæ & uirtutis materia ſibi oblata fuiſſet: deinde

quòd dum neceſsitate premeretur, prouidente ac ſibi conſulente Deo beneficum hominem inueniſſet. Sic ille præclaro exemplo omnia boni conſulere nouerat. Chry. Optarim me tam bene id efficere poſſe quàm intelligo id fieri debere. Th. Si tu hęc ex animo loqueris, iam pene ſcopulos euaſiſti: multum enim eſt quenquam optare ſe talem eſſe qualis ipſe eſſe debet: hoc enim & ueritatis agnitionem teſtatur, & hominis iudicium rectum eſſe oſtendit: quæ ſanè res optimos tandem parere ſolet effectus. Cæterùm quanquàm ea quæ in noſtra uoluntate ſita ſunt nobis facilia eſſe iudicentur, fateri tamen conuenit egregium uirtutis ſpecimen eſſe cum proprijs affectibus depugnare, & uincere: atq; noxias cupiditates ſi fortè caput erexerint, frænare, & coërcere: idipſum profectò uirilis præſtantiæ eſt, nec niſi laborioſa dimicatione efficitur: ſed hic labor materia eſt uirtutis. Tolle in rebus efficiendis difficultatē

& laborem, haud dubiè & uirtutem, & quæ uirtuti ipſi propoſita ſunt præmia ſuſtuleris. Certè qui difficultates & ſudores reijcit, is ſibi cęlum claudit: per ipſum enim quaſi pontem tranſeundum eſt ad aſtra uolanti. Quis uerò magnum aliquod facinus ſe feciſſe exiſtimabit, ſi quum omnia ſibi abundè ſuppetunt, ea ipſa condemnatione contentus fuerit, & hunc ſtatum æquo animo tulerit? At uerò inopiam, & rerum tenuitatē æquanimiter tuliſſe, & fœdas cupiditates uiciſſe, ac iugulaſſe, hoc proculdubio præclarum & glorioſum eſt: ſummus quidem omnium rerum opifex Deus hanc mortalibus indidit legem, ut per arduam uirtutis ſemitam ad beatam peruenirent mãſionem: atqui necꝫ ſine labore uirtus, neque ſine certamine uictoria, uel corona iure paratur: Namque ut eſt apud Aurelium Auguſtinum, profectus fidelium ſine difficultate non euenit: nec coronabitur niſi qui uicerit; nec uincet niſi qui certa

uerit,nec certabit, niſi qui ſibi aduerſantem habuerit. Proinde ne quis externo hoſte deficiente nullum uirtutis ſpecimen ſe edere poſſe cauſaretur, diuino prouiſum eſt conſilio, ut ſemper in proprio lare eſſet, qui diſsidium ſuſcitaret, bellumq; moueret. Primum quidem inquit Iræneus, Dei opificio fit homo: deinde oportet factum augeri, & auctum corroborari, & corroboratum conualeſcere, & conualeſcentem glorificari. Poſtremò glorificatum uidere dominum ſuum & hic eſt hominis aſcenſus, & hæc illius promotio. Igitur ad uirtutis materiam & occaſionem graue hoc pondus natura homini additum eſt, quo deorſum premente ac retrahente, diuinior animæ portio ab aſcenſu retardatur: eóq; fit ut nos nobis oneri ſimus: & ipſi nobiſcum litigemus: tum ipſa animæ uis uarijs reſpectibus uarias, quod aiunt, imaginationes ſuſcipiens diſtrahitur: atque eo pacto diſſidium & concertatio generatur, carnali

ſcilicet

 176

ſcilicet portione alteram, quæ diuinior & ſanctior eſt, ad ſe rapere ſatagente. Sanctiore uerò ac præſtantiore contra tempeſtatẽ, & procellam hanc pro uiribus obnitente, atq;, uti par eſt, uirtutis & rationis magiſterio imperium ſibi uendicante. Et quidem admiratione dignum uidetur, quemadmodũ Auguſtinus ait, quòd ubi animus corpori quippiam imperat, mox corpus paret & obſequitur: at dũ animus ſibi ipſi imperat, repugnãtiã inuenit: equidẽ nõ imperaret, niſi uellet, at tamẽ exequi renuit quod imperauit, ergo nõ omnino uelle cẽſetur: nã tãtũ imperat quantũ uult, & tantũ renuit ac renititur, quãtũ nõ uult: proinde apparet nõ plenã & abſolutam adeſſe uoluntatem: nam ſi plena eſſet, nihil in diuerſam partem retraheret, aut effectum remoraretur. Ergo partim uelle, & partim nolle non duas plenas in homine uoluntates, ſed animi ægritudinem quandam arguit, qua non totus aſſurgit ut perfectè &

abſolutè uelit. Hæc ille. Planè quemadmodum in humano corpore humorum & qualitatum diſsidium morbum facit: ſic in animo diſsidẽtes motus & affectus uarijs conſiderationibus excitati ægritudinem pariunt, ac uoluntatis ſanitatem diſtractione quadam & diſsidentia impediunt. Quocirca accommodatis in hanc rem pharmacis curatio eſt adhibenda: namq; ut in corporum morbis febriles ardores reprimendi: ſic ſanctiorisq; & diuinioris portionis uires excitandæ ac roborandæ: ut proculcatis affectibus illa demũ ſe ſe attollat, & criſtas erigat: quo nauato, uirilem hanc & uictricem portionem triumphali applauſu læta uoluntas proſequetur. Chryſ. Quibus oro te, modis efficiundum cenſes, ut in inteſtino iſto diſsidio, & domeſtica pugna concertationeq; melior & ſanior pars deteriorem uincat, ſiue ut animi uis in eam quam debet partem deflectat, necnon ad id quod magis expedit uoluntatem ſua[illegible] [illegible]commodet?

Thauta. Huiuſce rei ſucceſſus poſt auſpicatam diuini fauoris opem una maximè rationis conſideratione & deguſtatione, necnon illius conceptu & apprehenſione perficitur. Certè quemadmodũ Paulus ſcribit, Deus operatur in nobis uelle, & pro bona uoluntate perficere: nõ enim aliquid poſſumus ex nobis cogitare tanquã ex nobis: itaq; & initium bonæ cogitationis, & effectum bonæ operatiõis ex Deo nanciſcimur: & ueriſsimũ eſt quod Chriſtus ait, ſine me nihil poteſtis facere. Ergo primitus illius gratia nobis eſt ambienda, cuius præſidio qui fulti ſunt, nullius rei aſperitate aut difficultate deterrentur, dicente Paulo, omnia poſſum in eo qui me confortat. Atqui profectò mirum eſt, quòd in hac, de qua diximus, concertatione diuinum auxilium nobis contra noſmet ipſos eſt implorãdum. Ceterùm cùm humanus animus natura rationalis exiſtat, armonia quadam ſingulari ad ipſius opificis & conditoris ſimilitudinem

creatus, nempe ea parte qua rationales ſumus ipſi Deo aſsimilamur. Eapropter humanæ uoluntatis motus naturæ proprietate rationi ſeſe accommodare, & illam ſequi atq; amplecti paratus eſt, Equidem ſic rationẽ definimus, ut ſit uis quædam partium animæ rectrix, ſpiritualis armonia, uirtutis menſura, & rerum bene conſtitutarum congruitas, necnon earum temperamẽtum, apta proportio, & debitus modus. Ex quo colligitur eos actus qui ab animo proficiſcuntur, ſi à rationis dictamine alieni fuerint, tanquam irregulares & inordinatos uehementer eſſe improbandos. Sic igitur bene compoſiti animi propriũ eſt dictamen ac iudicium rationis ſequi: quandoquidem quicquid contra rationis ordinem fit, hoc ab hominis natura meritò reputatur alienum. Contrà ille animus bene compoſitus cenſeri debet, qui ratione mouetur ac ducitur, nec ab illius dictamine recedit: quocirca ubi cu-

piditatum

piditatum aculeis homo ſe ſtimulatum uidet, animumq́ ſuum præſenti rerum cõditione contentũ eſſe nolle animaduertit: ſi ſe ipſe uincere, & illam per quã expedita ad diteſcendum uia patet æquanimitatem nanciſci uelit: huic profectò neceſſe eſt rationem in conſilium aduocare, eamq́ diligenter intueri, & ſibi ante oculos ſtatuere: huic enim inſita eſt uis bene compoſitas natura mentes alliciendi, flectendi, regendiq́, necnon immoderatos affectus ſuo obtutu, ſuaq́ contemplatione ſedandi & componendi. Certè quemadmodum pueri oblata ſibi pomorum ſpecie accurrunt & ſequuntur, & ut uagientes in cunis percepta aliqua uocũ ac ſonorũ armonia cõpeſci & exhilarari ſolẽt: ſic ratiõis cõtẽplatiõe et cõceptu humanæ mẽtes capiũtur, trahũtur, mouẽturq́, & ĩ eã acquieſcere cogũtur. Ch. Magna profectò me plerũq; cepit admiratio, ꝗ cõmotas nõnũq; facto aliquo uirorũ prudentum mẽtes, ſimul atq; illis facti

illius ratio reddita eſſet, ſedatas & placatas conſpicerem. Thauta. Haud dubiè ratio nobis adeò ueluti ſtatera quædam data eſt: &, ut Senecæ uerbis utar, quaſi arbitra bonorum & bonorum conſtituta: quinetiam uirtus nihil aliud, quàm recta ratio eſſe intelligitur: proinde ut legitimum ſit quod agitur, hoc unum ſemper ſpectari debet: ut ratio uincat, & principatum teneat humanorum certè actuum regula & menſura in ratione ſita eſt: itaq; quod præter hanc uel fit, uel dicitur haud dubiè uicioſum eſſe conuincitur. Ita que ubi mẽtis affectus ab ratione abſunt, ueluti congrui temperamenti exceſſu aptæq; armoniæ uitiatione febricitãt. Eninuero quemadmodum illæ corporis partes inordinatæ dicuntur, quæ naturæ modum ordinemq; non ſeruant: ita animi motus qui non ratione regulantur incompoſiti atq; inordinati, & uitioſi cenſendi ſunt. Et quemadmodum humanũ corpus cuius debitus ſtatus in humorum

contemperatione conſiſtit, quandiu hoc temperamentum ſeruat, ſanum & incolume eſt, ubi uerò per exceſſum eiuſmodi armonia uitiata fuerit, ægrotat: ſic animus ſi à rationis libramine & lege abſceſſerit, languorem proculdubio incurrit: quãdoquidẽ eius ſanitas nõ niſi in ipſa ratiõe eſt: illius uerò perturbatio tũc agnoſcitur, quum ipſe à rectitudine rationis alienatur. Nec dubium quin cùm, uti paulo antè diximus, per rationis excellentiam homo Dei ſimilitudinem referat, illam deſerendo ſuam ipſe ſpeciem & pulchritudinem deturpet ac dedecoret. Equidem animorum perturbationes non aliud quàm ipſorum cum ratione diuortia eſſe intelliguntur. Igitur ex ijs apparet propriam animi ſedem eſſe rationem: qua ſibi oblata, & coràm poſita ipſe libenter ac placidè in ea conquieſcit. Hæc latius fortè ac uerboſius quàm par eſſet proſequutus ſum: atqui pulchrum eſt intellexiſſe, cur humanus animus repræ-

ſentata ſibi rationis ſpecie tam facilè mo-
uetur, accedit, contentus eſt, acquieſcit.
Certè boni rectiq; conceptione & intel-
ligentia quaſi uehiculo quodam homi-
nis uoluntas promouetur: quiſquis autē
ratione magiſtra recta probauerit, hic
ſeipſum & omnia facilè uincet. Porrò,
ne longius euagemur, rationis ipſius
duplex eſt conſideratio ac differentia.
Quædam enim ad humani iudicij li-
bram ac trutinam & communis natura-
lisq; ſenſus æſtimationē expenditur; quæ
dam ad Dei uolūtatem, quoquo pacto il
la mortalibus innotuerit, examinatur.
Hoc itaq; prælibato, reliquum eſt, ut per-
ſpicua demōſtratiōe tibi patefaciā utriuſ-
que modi rationibus animo repræſenta-
tis euinci poſſe, ut ſiue parum, ſiue multū
quis habeat, cupiditate repreſſa ſuis rebus
contētus eſſe uelit: quod certè de externis
ſentiendum eſt: nempe in ijs quæ ad ſu-
pernæ felicitatis profectum pertinēt, quò
plus quiſque ſitiuerit, atque æſtuarit, hòc
copioſiorem

copioſiorem gratiam & fauorem ſibi cõparabit, boniſq́ ſpiritalibus affluet, ac locupletior inuenietur. Planè ad immoderatam externarum facultatum appetentiam reprimendam apud ingenuas mentes illa in primis Diogenis ſententia plurimum ualere debet, quæ docet factu longè difficillimum eſſe immenſas opes ſimul cum uirtute in eadem domo poſſe habitare: atqui uirtus præcipuum eſt hominis bonum, quo & ipſe in terra nobilitatur, & ad aſtra ſubinde prouehitur. Et quidem Senecæ teſtimonio conſtat quemadmodum ad natandum, ſic ad bene uiuendum unumquemque tantò eſſe habiliorem, quantò is externarum rerum põdere ac ſarcina liberior extiterit: nudum latro tranſmittit, etiam in obſeſſa uia inopi pax & ſecuritas eſt. Vnde idem Seneca ſic ad lucillũ ſcribit. Proijce omnia iſta, ſi ſapis: imò ut ſapias, & ad bonã mẽtem magno curſu ac totis uiribus tende:

 ſi quid

ſi quid eſt quo tenearis aut expedi, aut inꝭ
cide: moratur, inquies, me res familiaꝭ
ris: ſic illam diſponere uolo, ut ſufficere
etiam nihil argenti poſsit: ne aut pauperꝭ
tas mihi oneri ſit, aut ego alicui. Cùm hęc
dicis, non uideris uim ac potentiam eius
de quo cogitas boni noſſe, & ſummam
quidem rei non prouides, quantum ſciliꝭ
cet philoſophia proſit: partes autem non
ſatis ſubtiliter diſpicis, necdum ſcis quanꝭ
tum illa nos ubiq; adiuuet, uel quantum
in maximis opituletur, & in minima deꝭ
ſcendat. Mihi crede, aduoca illam in conꝭ
ſiliũ, ſuadebit tibi, ne ad calculos ſedeas:
nempe tu hoc quæris: & hoc iſta dilatioꝭ
ne conſequi uis, ne tibi paupertas timenꝭ
da ſit. Quid ſi ipſa appetenda ſit? Multis
ad philoſophandum opes obſtitere: pauꝭ
pertas expedita eſt, & ſecura: cum claſsiꝭ
cum cecinit, ſcit non ſe peti: cum aliqua cõ
clamatio eſt, nõ quid efferat, quærit. Pau
pertas contenta eſt deſiderijs inſtantibus
ſatiſfacere. Quid eſt ergo quare hanc reꝭ
cuſes

cuſes cõtubernalem? Si uis uacare animo, aut pauper ſis oportet, aut pauperi ſimilis. Non poteſt ſtudium ſalutare fieri ſine frugalitatis cura: frugalitas autem paupertas uoluntaria eſt. Tolle igitur iſtas excuſationes: nec dicas, nondum habeo quãtum ſat eſt: ſiue aliquid habes, ſiue nihil, iam philoſophare. Natura minimum expetit, naturæ autem ſapiens ſe accommodat. Quod ſi exiguum fuerit & anguſtum, quo poſsit uita traduci, id boni conſulit, nec ultra neceſſaria ſolicitus, aut anxius uẽtris negocium aget, quin occupationes diuitum, concurſationesq; ad opes tendentium ſecurus lætusq; ridebit. Huc ergo cogitationes tuæ tendant: hoc cura, hoc opta, ut contentus ſis temetipſo, & ex te naſcentibus bonis, omnia alia uota Deo remiſſurus. Magnus eſt ille, q̃ in diuitijs pauper eſt, ſed ſecurior qui caret diuitijs. Si ad naturam reſpicias, nunquam eris pauper: ſi ad opiniones, nunquam eris diues. Exiguum natura deſiderat, opinio

immenſum. Hæc Seneca. Anthiocus quidem Aſiaticus Rex cum à Scipiōe debellatus conditiones pacis accepiſſet, quibus multæ ſibi prouinciæ, & magna regni pars adimebatur, poſtea dicere ſolitus erat bene ſibi ceſsiſſe, quòd cùm modicis regni terminis uteretur magna cura liberatus eſſet. Ampla etenim ut Plutarchus ait, imperia, & nimię quę expetũtur opes undiq; circunfuſas habent moleſtias: quo circa præclarè Theocritus non mihi, ait, ſint nec opes Pelopis, nec multa talenta, nec celeri curſu uentos ſuperare fugaces: at uacuo curis liceat cantare ſub antro: Et procul è ſpecula mare proſpectare profundum. Ad hæc illa ratio in conſiderationem uenire debet, quòd quicquid ſibi hòmines perſuadeant, dum putãt ſi id quòd optãt aſſequuti fuerint ſe eo ſaturos, & cõtẽtos fore, nec ãplius quicquã ambituros, lõgè tamẽ aliter ceſſurũ: nõ eñ hæc ſitim extinguẽt, ſed irritabũt potius, & ignem magis ac magis accendẽt. Cogãtur in te,

inquit

inquit Seneca, quicquid multi locupletes poſſederũt, ultra priuatũ pecuniæ modũ fortuna te prouehat, auro tegat, purpura ueſtiat, & eò deliciarũ opumq́ perducat, ut terrã marmoribus abſcõdas, & nõ tantùm habere liceat, ſed etiã calcare diuitias, certè ab ijs diſces maiora cupere. Naturalia deſideria finita ſunt: ea uerò quę ex falſa & uitioſa opinione naſcũtur nõ habent ubi deſinant: nullus enim terminus falsò eſt, cùm error ſit immenſus. Hæc ille. Ergo ad beatitudinem, animiq́ tranquillitatem opum & facultatum additamento, habendiq́ cupiditate peruenire nemo poteſt: quamobrem apparet ſatius eſſe cupiditates ipſas amputare, & eo quod adeſt optimum quemq́ lubenti animo contẽtum eſſe. Accedit, quòd quis ſuam ęgrè ferendo ſortem nihil proficit, ſed quò moleſtius fert, hòc peius habet: & quam ipſe malè fert conditionem, hanc ſibi magis ac magis reddit duriorem. Contrà ſi hanc ipſe nõ grauatè ſubeat, hoc modo & ſuas

confirmabit,

confirmabit uires,& de oneris grauitate & pondere plurimum detrahet. Quocirca probum eſt hac in re Comici noſtri cōſilium, dum ait. Si non poteſt fieri quod uis, id uelis quod poſsis. Stultū eſt enim in re nihil profutura ſeipſum cruciare; uel ubi effugere nequeas, retrocedere, conari, aut repugnare, ac contra ſtimulum calcitrare. Namq; qui contumaciter facit quod facere neceſſe habet, is magis ſeipſum grauat & offendit. Rectè Seneca, nihil, inquit, inuitus facit ſapiens, neceſsitatem effugit, quia uult quod uidet eſſe neceſſe. Et rurſum idem ait, da operam, ne quid unquam inuitus facias. Quicquid futurum eſt, hoc repugnantem cogit, non eum qui uult: quippe in uolētem nulla neceſsitas eſt. Itaq; qui imperia lubens excipit, acerbiſsimam partem ſeruitutis effugit, quæ eſt facere quæ nolis: nihil autem honeſtū eſt, quod ab inuito uel coacto fit: omne honeſtum uoluntarium eſt: optimum profectò æquo ani-

mo.

mo ſubire & pati quod emendare non potes: proinde ad hanc legem animus noſter aptandus eſt, hanc ſequatur, huic pareat, & quæcunque fiunt debuiſſe fieri putet: nec uelit naturam, aut Deum obiurgare: ſi reluctemur, urgebit neceſsitas, & utrunque gementibus patiundum erit: malique male feremus ea quæ bonis bene ferre licuiſſet. Atqui leuiter onus illud portatur quod libenti animo ſubitur: namque ut quidam Poëta ait, Ducunt uolentem fata, nolentem trahũt: potius ergo creſcat animus ex ipſa deſperatione & prompta mente. Quò fata trahunt, retrahuntque, ſequamur. Effugere iſta non poſſumus, fortiter ferre poſſumus. Equidem ubi animus impotentius diſcruciatur, languor quidam ſubit: & conſilium homini eripitur: ac tum animi, tum corporis uires labefactantur: ipſaque uita atteritur: ſimulque æternæ ſalutis fructus areſcente humore deperit. Nec uerò perhorreſcere debemus eam quæ ſecundùm naturam eſt uiuendi

conditionem: ſiquidem pauperes nos & inopes natura genuit, & ut ſudore ac labore uictum nobis pararemus edixit. Quid igitur ingemiſcimus, & hanc qua nati ſimus conditionem ferre recuſamus? laudabilior certè ille eſt qui non turbulentè eam tulerit: imperetur ergo æquitas animo, & ſine querela humanitatis legi cedamus: ad hanc ſiquidem ferendam nati ſumus. Audiamus ſapientium conſilia, & illorum, ut par eſt, authoritate perſuaſi ad bene de rebus ſentiendum adducamur. In eccleſiaſticis quidem legitur ſententijs. Modicum pro magno placeat tibi. Et iterum. Ne erigas oculos ad opes quas habere non potes. Sic animum componamus, inquit Seneca, ut quicquid res exigit, id uelimus. Nec faciamus nobis mala, repugnando ac reluctando grauiora. Grandis eſt inquit Hieronymus, exultatio animæ; cum paruo contentus fueris, mundum habere ſub pedibus, & omnem eius potentiam

contemnere

contemnere. Certè, ut aït Cicero, ſapiens nihil ægrè ferre debet quod ſine ſua culpa accidat: nihil enim ille in malis æſtimare debet præter culpam & peccatum: ſapientia uerò ſemper contenta eſt eo quod adeſt, neque unquam ſui pœnitet: ſcit enim beatam uitam uirtute eſſe contentam. Poſſem in hanc rem & alia quamplurima congerere: uerùm hæc aliâs latius. Porrò cùm ea quæ ante memorata ſunt ad eas præcipuè quæ naturalis iudicij conſiderationе diſcerni poſſunt rationes pertinere uideantur, illæ minimè prætereundæ ſunt demonſtrationes, quæ diuinæ maieſtatis uoluntatem ſpeculantur, cui ſeſe ſemper accommodare mortalitas debet. Equidem Chriſtianis mentibus penitus inſertum eſſe congruit omnibus in rebus diuinam ſequi uoluntatem: unde Ireneus uir ſanctiſsimus, oportet, inquit, te qui opificiū Dei es primùm obſeruare gradum & ordinem, quem ille

tibi

tibi præſcribit ac conſtituit, deinde participem fieri gloriæ eius: non enim tu Deũ feciſti, ſed ille te fecit: ſi ergo tu Dei opus es nondum quidem in eam quam decet perfectionem productum, manum artificis tui expecta omnia opportunè facientem, eiq́; præbe cor tuum molle & tractabile, habens in ſe humorem: ne induratus reſpuat artificis manum: qua ipſe perfici ad gloriam debes: ob idq́; ipſe tibi ſis cauſa imperfectiõis. Hęc ille. Certè cõſtat ſapientiſsimo & clementiſsimo Dei arbitrio cuncta diſponi: nec minimum quoq; folium ſine illius nutu cadere in terram. Porrò is qui ea que Deus uult non æquo animo tolerat, à Dei uoluntate profugus fit, & extorris: & quò magis ipſe refragatur, hòc magis à Deo diſiungitur & elongatur. Sanè prophetica uox eſt. Ecce qui elongant ſe à te peribunt. Atqui ſine Deo nulla bona mens eſt: illud autẽ præcipuè notis ante oculos uenit ſtatuẽdum, quòd eternus Deus futurorum prouidus, & de

noſtra ſalute quàmmaximè ſolicitus in terrenarum rerum diſpenſatione ſi nos totos illi commiſerimus, ſalutis noſtræ rationem habet, idq́ haud dubiè ſtatuit & decernit, quod in hunc finem nobis conducibilius eſſe prænoſcit. Dei igitur uoluntati, quo authore omnia proueniunt, animum noſtrum accommodare debemus, & quod ille præſcribit æqua mēte amplecti: ut quemadmodum Deo ſimiles ſumus per creationem, ita & illi aſſimulemur per uoluntatem: eo enim uoluntatis concurſu ipſi Deo coniungimur. Planè ut uir quidam ſcitiſsimus aiebat, ſi de Deo bene ſentire uelimus: id totum quod ab illo fit, bene fieri exiſtimare debemus. Præclarè item diuus Leo, cùm præſens, inquit, uita per creatoris opem ducatur, & per illius prouidentiam ſuſtineatur: illeq́ bonos & gratos nos eſſe uelit, quia ipſe bonus eſt: nihil de iudicijs eius nobis diſplicere debet, alioqui uidemur eum quadam ex parte repre-

hendere. Etſi illi non agimus gratias, tanquam ingrati deteriora mereri uidemur. Ad hoc cùm apoſtolus dicat, ſemper gaudete, in omnibus gratias agite: non dubium quin de omni menſura munerum eius gaudere debeamus, illiq; gratias agere. Quomodo autem à nobis rectè colitur Deus, niſi quod illi placet, placeat & nobis: nulla certè bona mens eſt, quæ Dei repugnat arbitrio. Cùm autem à nobis amatur quod uult Deus, meritò in illius conſcenditur regnum, in cuius tranſitur affectum. Et qui Dei uoluntatem ſuæ præferunt, tantò amplius ipſi ſe amare oſtendunt, quantò amplius pro creatoris ſui amore ipſi proprios affectus non amant, ſcilicet dum ipſi ſe ſibi quadam ex parte denegant: nec uerò ab hac ſententia diſcrepat Seneca: ſic enim ad Lucillum ſcribens ait: Quicquid Deo placet, placeat & nobis uel ob id ſolùm quod Deo placet. Cæterùm ipſi

nobis conſtanter perſuadere debemus, ut diuus Chryſoſtomus ſcribit, Deum ipſum non modò ut medicum periſsimum, uerùmetiam tanquam amantiſsimum patrem ſalutaria filijs exhibere, & ab eo omnia nobis utiliter inferri: cùm uerò medicus contraria his quæ nobis placent præcipit, minimè reluctamur, quòd perſuaſum habeamus cuncta illum ex arte facere, & ad noſtram utilitatem decernere: quanquam ille ſæpe fallatur. Quantò igitur magis ſalutem noſtram Deo credere debemus, qui nec fallitur unquam, nec fallit: hæc ille. Profectò quid cuique expediat, optimè Deus nouit: diuinaq́ꝫ ſapientia ad debitum finem omnia mouet: diuínæ autẽ benignitatis propriũ eſt, eorum quos ipſe diligit maſculã uirtutem copia & largitione carnalium nequaquam ſinere eneruari, uel emolliri, aut eiuſmodi pedicis illos irretiri. Quòd ſi quis fortè ad

hoc declinet,ut cupidius terrenis implice-
tur:paternum haud dubiè eſt illos ad me
liorem mentem reducere, ac deinde in
uirtutis ſtatu ſolidare. Quis enim opti-
mus pater, ut eſt apud eundem Chry-
ſoſtomum, ſi uiderit filium in ancillam
deperire, non illam expellat, longiusq́
ſubmoueat: optimum ergo eſt, uti Sene-
ca monet, Deum ſine murmuratione co-
mitari: malus namq́ miles eſt qui impe-
ratorem ſuum gemẽs ſequitur: quare im-
pigri atq́ alacres excipiamus imperia.
Certè ille magnus eſt animus uereq́ di-
uinus, qui ſe totum Deo tradidit: contrà,
ille puſillus ac degener, qui obluctatur: de
ordine uerò mundi malè ſe exiſtimare
oſtendit, qui emendare Deum mauult,
quàm ſeipſum: & hoc nil aliud eſt, quam
inſulſa temeritate ſupra Deum uelle ſcan-
dere. Chryſo. Iſta profectò accuratè con-
ſiderata magnam habent perſuaſionem.
Cæterùm non ſatis intelligo, quonam
pacto ille diuinæ uoluntati refragari pu-
tandus

tandus ſit, qui cùm ipſe rebus ad ui-
ctum neceſſarijs careat, illas ſibi ſuppe-
ditari concupiſcit: neq; enim eiuſmodi
appetitus inordinatus aut immoderatus
eſſe cenſeri poteſt, ideoq; minimè ui-
detur improbandus: alioqui neq; facta
ſatione agricolis fructus, neq; paſtori-
bus poſt admiſſuram ex gregibus fœ-
tum, neque alijs ex quouis labore præ-
mium optare licebit: quo recepto uni-
uerſum rerum humanarum ſtatum at-
que ordinem confundi neceſſe erit. Thau
tanus. Nos non Stoicorum more adeò
aſtrictè philoſophamur, neq; tam actam
cenſuram exercemus, ut qui hic cecide-
rit à ſyllaba, cadat & à cauſa. Itaque tam
etſi quiſquam nonnihil quo ſibi opus
eſt exoptet ac cupiat; ſi tamen ipſe ne-
que modum, neque ordinem legitimum
prætergrediatur, hunc certè omni of-
fenſa liberum & immunem iudicamus:
quippe ea rerum appetentia quæ ra-
tionis & modeſtiæ terminos non ex-

cedit innoxia eſt: anxiam enim tantum curam & ſolicitudinem quæ animi ægritudinem parit improbamus. Chryſophilus. At ille qui quantulum cunque concupiſcit ſe nequaquam contentum eſſe oſtendit. Thautanus. Omnibus in rebus quendam oportet inesse modum. Certè non ex uno quopiam actu, aut ex particulari aliqua affectione totius hominis conditionem æſtimamus, ſed in hoc iudicio faciundo principalem hominis ipſius intentionem, ſuperioremq́ue uoluntatem, ac ſummum propoſitum attendimus, ſpectamusq́ue & conſideramus: atque ex ijs illius ſtatum metimur. Quocirca non ideo agricolam cupidum iudicabimus, quod ipſe uberem ex agris prouentum exoptet: neque paſtorem auidum abſolutè dicemus, quòd ex ſuo grege lactis, lanæ & fœturæ copiam expectet, dum illi alias ſua ſorte contenti uiuant; neque

illos ſui ſtatus ſuæꝗ conditionis pœniteat: ſed ſemper quicquid Deus tribuerit, hoc boni conſulere parati exiſtant. Equidem quotidie omnes à cæleſti parente panem poſtulamus, & accipere deſideramus: uerùm hoc uno argumento nos contentos eſſe declaramus, dum hæc uerba ex animo pronunciamus, fiat uoluntas tua ſicut in cælo & in terra. Minimè tamen inficiandum uidetur, quin quemadmodum pleriſque alĳs in rebus, ſic & in hac de qua loquimur diteſcendi ratione quidam gradus eſſe intelligantur: quo fit, ut alĳ alĳs ditiores ſint: hoc certè conſtat, quòd quominus quiſque concupiuerit, hoc ditior ac beatior inuenietur. Et quantò magis nos propriam noſtram uoluntatem diuinæ diſpenſationi ſuppoſuerimus, eique animos noſtros accommodauerimus, tantò feliciores erimus.

Quod dum miſeri mortales obliuiſcuntur, nefaria temeritate, inſanaq́ꝫ & ſacriſaga præſumptione Dei prouidentiam redarguere, & infandas contra illius diſpenſationem querelas efferre non uerentur.

CHryſophilus. Hoc certè frequens eſt noſtro ſæculo malum. Thautanus. O` proteruas mentes, O` deteſtandam petulantiam, atque ſceleratiſsimam. Certè in horrendum hunc multisq́ꝫ naufragijs infamen ſcopulum hodie pleriq́ꝫ impingunt. Chry. Quoniam hæc ipſa res magnam cum propoſita materia cognationem & affinitatem habet, non incongruũ fuerit de ea obiter nonnihil afferre in medium. Thautanus. Hæ quidem res ex eo inter ſe affines eſſe intelliguntur, quòd quominus quiſque ſuorum caſuum querelis inſiſtit, hòc facilius contentus eſt. Præterea memini te penè ab initio ſuſcepti ſermonis de hoc querelarum genere feciſſe mentionem, quod diceres tibi per-

iniquam

iniquam uideri Dei diſpenſationem, cùm nonnullis res omnino pro uoto ſucce-dant, & dormientibus quoque ipſis bo-na obueniant: atque in eorum retia opu lentæ hæreditates, & opes quampluri-mæ undecunque ultro ſe conijciant, alijs uerò quicquid ipſi conentur, quicquid ſudent, laborent, remigēt, moliantur, mira quædam infelicitas eis aduerſa-tur, illosq; à ſuis conatibus retardat: quamobrem non inuitus de hac re quæ-dam memoratu digna libenter ſubij-ciam. Equidem permulti ea ſunt de-mentia, quod quicquid illorum uotis ad-uerſatur, hoc ab omni prorſus æquitate reputant alienum, neq; ullo pacto hanc, quæ humanis in rebus conſpicitur, inæ-qualitatem æquanimiter ferre poſſunt: ini quum enim arbitrantur, ſi cùm alij abun dant, ipſi inopia premantur, & cùm alios honoribus & dignitatibus floren-tes conſpiciant, ipſi contemptui habean-tur; aut cùm cæteris omnia lætius ſuc-

cedant, ſibi nihil non triſte contingere uideatur: quamobrem inſana præſumptione & arrogantia perciti, atque indignabundi iniuſtitiæ Deum accuſare, & contra illius maieſtatem obmurmurare, atq; in prophanas querelas, ac blaſphemias temere perrumpere, & contra ſummi Dei prouidentiam obloqui non uerentur: miſeri qui inſanis ſuis affectibus neſciant imperare, & quanta ſint in mortales omneis Dei beneficia intelligere. Nonne Sapiens clariſsima uoce teſtatur, quòd non inueniet homo contra Deum iuſtas querimonias? qua de re Propheta inquit: Iuſtus eſt dominus in omnibus uijs ſuis, & ſanctus in omnibus operibus ſuis. Atque idem alio loco exclamat: Quàm magnificata ſunt opera tua domine, omnia in ſapientia feciſti. Vnde in hortulo ſapientiæ legitur: Benedicite Dominum in omnibus operibus ſuis. Et ſic dicetis in cōfeſsione: Opera domini uniuerſa, bona ualde. Non eſt dicere: Quid eſt hoc, aut

Eccleſiaſtici. c. 39

quid eſt iſtud ? omnia enim in tẽpore ſuo quærentur. Et ſequitur: omnia opera domini bona, & omne opus ora ſua ſubminiſtrabit. Nõ eſt dicere: hoc illo nequius eſt: omnia enim in tempore ſuo comprobabuntur: & nunc in omni corde & ore collaudate, & benedicite nomen domini. Profectò nihil à Deo irrationabiliter diſpenſatur: nec puſillus paſſer eſt in obliuione apud eum. Atqui ut latius illorum arrogantiam & ſtultitiam confutemus, cùm Deus ipſe rerum omnium creator ſit & dominus, cur non licebit illi ſine cuiuſquam iniuria quod ſuum eſt, cui, quando, & quomodo uult tribuere ? audiamus regium prophetam, cuncta quæ in cælo & quæ in terra ſunt tua ſunt domine: tuum eſt regnum: & tu es ſuper omnes principes: tuæ diuitiæ & tua eſt gloria: tu dominaris omnium: in manu tua uirtus & potentia, in manu tua magnitudo & imperium omnium: *1. Paralipomen. 29.*

tua

tua ſunt omnia: & quæ de manu tua acceptimus, obtulimus tibi: & idem in pſalmis. Domini eſt terra, & plenitudo eius orbis terrarum, & qui habitant in eo. Igitur is qui quantuluncunque illius beneficentia & largitione conſecutus eſt non quid, uel quantum alij acceperint conſiderare, ſed quod ſibi donatum fuit exoſculari & gratanter ſuſcipere, atque cum gratiarum actione amplecti debet. Quis autem ob id regem, uel principem iniquum putat, quòd ille non æquè omnibus prouinciarū gubernacula committit, ſed alios alijs rebus præficit, nec omneis in aulam aſciſcit, neque ſingulos qui in aulam aſciti ſunt ad eadem officia promouet, uerùm alios alijs ſubliміores conſtituit, atque pro ſuo arbitrio munera partitur & ſtatuit? O miram ingratæ mortalitatis in creatorem impietas, dū obmurmurare mauult, quàm cum illuſtriſsimo rege & ſanctiſſimo uate dicere. Quis ego ſum Domine Deus,

& quæ domus mea, quoniam adduxiſti me hucuſque? O' domine, quia ego ſeruus tuus, & filius ancillæ tuę: uel cũ patriarcha eximio ita effari & pronunciare: Minor ſum Domine cunctis miſerationibus tuis. Quæ proculdubio uerba à nobis paſſim decet uſurpari. Ego profectò ea ipſa nuſquam ab ore Chriſtiani uiri recedere, nuſquam ab eius elabi corde debere cenſeo: namque ad diuinam beneficentiam euocandam, & ad aſciſcendum diuinæ beneficentiæ fauorem illa magnum pondus, magnasq́ uires habere teſtatiſſimum eſt. Quis autem illorum temeritatem & arrogantiam non ualde admiretur, quos tantæ ingratitudinis uitium excæcat, ut non modò non aliquas beneficentiſsimo bonorum omnium largitori pro acceptis beneficijs gratias agant, uerumetiam in ſuperbiam elati palàm aduerſus Dei prouidentiam ſceleſtiſsimè oblatrent? Dij boni quis furor? quæ cæcitas? quæ peruicacia? Pro-

fectò nephanda hæc ingratitudo magnã animaduerſionem promeretur. Væ qui
Eſa. 45. cõtradicit factori ſuo, clamat Eſaias. Aeſtimemus, quæſo, æquum ne ſit uiliſsimum
Iere. 18. lutum, ſiue figmentum contra figulum
Eccleſiaſtici. 33. & plaſmatorem ſuum inſurgere, uel obmurmurare? & dicere, cur taliter me
Ro. 9. fingis? nolo pro tuo arbitrio hunc in modum formari. Cùm in figuli ipſius ſitum ſit poteſtate lutum ipſum ſi uelit, abijcere, & proculcare, uel alioqui nulla prorſus formæ elegantia illud exornare. Atqui homo ipſe lutum eſt: Deus autem opifex, à quo totum eſt quod ſumus, quod uiuimus, quod aura fruimur æcherea: ipſe enim fecit nos,
Pſal. 94. & non ipſi nos. Vita hæc ab eo nobis data eſt: ſed & cùm hinc migrauerimus, perpetuæ felicitatis gloriam ſe nobis daturum ipſe ſpopondit, Si tamen in eo quod hîc nobis donatum eſt grati fuerimus: namque illi ſe omni beneficio & gratia reddunt indignos

dignos, qui pudendo ingratitudinis uitio laborantes nedum pro acceptis pridem muneribus gratias non agunt: uerum etiam largitorem ipſum, quòd cumulatiora non præſtiterit, coarguere non uerentur: ideóque ſapientiæ ſententia eſt: fili in bonis ne des quærelam, & in omni dato non des triſtitiam uerbi mali. Porrò quàm magnum quàmque ſingulare beneficium ſit uita & eſſentia donari, nulla linguæ copia ſatis exprimi poſſet. Quid quòd Deus hominem cæteris animantibus præſtare & excellere, inſuper & angelis æquari atque etiam ipſorum angelorum tutelari minimè uallari ſtatuit: hæc profectò per ſe ſunt maxima: ſed hæc ſuperiora quod Deus ipſe mirabili myſterio homini uiam aperuit, qua in creatoris ipſius conſortium peruenire, & cùm illo qui fecit cælum & terram ſine fine regnare poteſt. O magnum & ineffabile myſterium. O admirabile ſacramētum:

Eccl. 39.

Ioan. 3.

Deus fieri uoluit homo,ut homo fieret Deus: nos uerò tantorum beneficiorum immemores iudicia eius redarguere non erubeſcimus, & pro rebus nihili penden dis exacerbamur. Quid eſt,quęſo,quod de rerum humanarum inæqualitate mor tales queri debeant,cùm omnium par ſit ingreſſus in mundum,atque item par exi tus? ſiquidem inter regem & militem,in ter calcearium & imperatorem, inter ru ſticum & nobilem,inter ſeruum & inge nuum,inter pauperem & diuitem nullũ eſt in ortu & occaſu diſcrimen:omnes nu di cum lachrymis & eiulatu in hanc ęrũ noſam uallem deſcendimus,& cùm ad ſu premum diem,necnon decretiorem mor tis horam,ultimiꝗ; ſpiritus exhalationem uentum eſt,omnes in æquo ſumus: quod uerò inter utrunꝗ; labitur tempus bre ue ac momentaneum eſt: quamobrem in ea breuitate non magnopere de externo rum bonorum inæqualitate curandum, præſertim cùm ea ipſa inæqualitas ab

æternæ felicitatis aſſequutione neminem excludat: etenim ad uiam qua in cœlum peruenitur conficiendã haud dubiè quod cuiq; tribuitur ſatis eſt: eadem uerò omnibus gradiendi, & curſum hunc rectè peragendi facultas: unde ad Cain Dominus ait. Quare iratus es? & cur concidit facies tua? Nonne ſi bene egeris, recipies: ſi autem malè, ſtatim in foribus peccatum tuum aderit? ſed ſub te erit appetitus eius: & tu dominaberis illius. His igitur adæquatis, quid querimur? quid obmurmuramus? Nec uerò ad rem attinet, ſi quum alteri quinq; talenta credita ſint, ego duo tantùm acceperim. Profectò cui plus cõmittitur, ab eo plus exigetur: & quò magis quis onuſtus eſt, hoc minus ad conficiendam uiam expeditus inuenitur. Hoc ergo tantùm curare quiſque debet, ut in accepta quantitate pro ſua uirili ita probè ſtudeat negotiari, ut fidelis & commendabilis inueniri poſſit, & aliquando audire mereatur, Serue bone & fidelis in-

Geneſis. 4.

Matth. 25.
Luc. 19.
Marc. 13.

tra in gaudium domini tui. Enimuero ſi quis uel exiguitate contempta, uel ob id quod inæqualis facta fuerit diſtributio creditum ſibi negocium promouere neglexerit: hic certè non ſolùm negligentiæ, uerumetiam præſumptionis & temeritatis iure arguetur, indignusq́ habebitur, qui in domini conſortium ueniat, & cum illo æternorum gaudiorum participatione fruatur. Cæterùm ſi quis omnia diligẽtius uelit expẽdere, haud ſcio, an is qui plura acceperit, dicendus ſit uberiorem gaudendi materiam ſperare, an uerò propter adauctam ſibi curarum & periculorum ſarcinam in ampliore metu & ſolicitudine uerſari debeat. Certè nõ eſt facile decernere, uter eorum felicior ſit: is ſcilicet, qui quinq́, an is qui duo tantùm talenta adminiſtrãda & procurãda ſuſceperit. Certè ille tutior uidetur, qui minori negocio præpoſitus eſt. Quid quòd ſæpe in unũ aliquem non tam ſua ipſius, quàm aliorũ cauſa Dei beneficia cõgerũtur: ut per illũ Dei gratia in alios deriuet diffundaturq́:

193

& ipſe quidē miniſter, atq; inſtrumētum ſit operis: utilitas uerò & fructus cæteris largita eſſe intelligantur. Pro Chriſto, inquit Paulus, legatione fungimur tanquã Deo exhortãte per nos. Et idē ad Corinthios ſcribēs, oĩa, ait, ꝓpter uos, ut gratia abũdãs ꝑ multos in gratiarũ actiõe abundet in gloriã Dei: & alibi idem ipſe aſſerit ſe, & alios Apoſtolos Dei adiutores & miniſtros eſſe ad ędificationē & profectũ hominũ. Quade re ſeruũ ſe eſſe teſtatur illorũ, quibus ipſe Dei uerbũ proponebat. Sic Ioſeph olim in Aegypto nõ ad ꝓpriã, ſed ad patris & fratrũ ſuorũ, necnõ totius Aegypti ſalutē honoribus auctus regijs opibus præfectus extitit. Sic Moſes, ſic Ioſue, ſic Iepte, ſic Gedeon, ſic Sanſon, ſic cæteri illuſtres uiri in alienam gratiã & utilitatem ab ipſo Deo ingentia munera accepiſſe legũtur. Vnde in diuinis literis eruditiſſimus filius Sirac ait, Reſpicite, qm̃ nõ mihi ſoli laboraui. Tãtũ igĩt abeſt ut de diuinarũ gratiarũ inęquali diſpẽſatiõe

2.Cor.4. et *1.Corinth. & 10.* *Ro.13.* *1.Corint. et.2.4.* *Eccleſiaſti 15.*

conqueri debeamus, ut etiam de aliorum promotione plerunq; diuinæ maieſtati gratias agere: & hoc ipſum quod in alterum collatum cernitur inter præſtita nobis à Deo beneficia connumerare debeamus: eorũ certè qui publicis rebus adminiſtrandis prçſunt uirtus & prudentia omnibus prodeſt, & ad communem pertinet ſalutem, idq; ueluti preſtitũ ſibi à Deo beneficiũ uniuerſus populus debet agnoſcere: ſcientia quoq; & peritia gubernatoris omnibus qui in naui ſunt ſaluti eſt, & hoc illis à Deo beneficium. Quis autem ignorat & peritum medicũ Dei munus eſſe totius prouincie incolis datũ? Etenim propter hominum neceſſitatem illũ eſſe creatum ſacræ literæ perhibent: nec dubiũ quin per hunc multorũ neceſſitati Deus conſulere uoluerit: quod & pleriſq; alijs in rebus quiſquis cerebrum habet clariſsime poterit intelligere. Quocirca niſi ingratitudinis uitio obnoxij eſſe uelimus, nos ea omnia quorũ participes efficimur

in nos ipſos collata exiſtimare, & propter eà de his gratias agere debemus: profectò rerum omnium opifex Deus ſic hominum genus procreauit, ut nemo ſoli ſibi naſceretur: proinde quemadmodum unius corporis membra pro ſe inuicem ſolicita ſunt, & mutuò ſibi opitulantur: ſic 1. Cor. 12. inter homines ſtatuit Deus, ut ſinguli nō quæ ſua ſunt, ſed quæ aliorū quærãt: utq; is qui rectus eſt, pro pede ſit ei qui claudicat: & illè qui planè uidet, oculus ſit nō uidenti: necnon is qui audit, ei qui ſurdus eſt pro aure ſubſeruiat: ſed & ea creatoris ipſius uoluntas eſt, ut unius abundantia 2. Corin. 8. alterius ſuppleat inopiam. Quibus ex rebus diuina prouidentia alijs per alios mira diſpenſatione conſulit, & omnibus bene merendi facultatem, necnon agendarum gratiarum occaſionem proponere ſatagit: quum ſcilicet alij quod ſubleuantem inuenerūt, alij uerò quòd in quos beneficium conferre, & officioſi eſſe queant, reperire potuerint, gratias agere de-

beant. Audi magnum illum Grego=rium ſic inquientem. Cuncta Deus mo=deratur: ut unuſquiſque quod à Deo non accepit, in altero & per alterum qui id aſſequutus eſt poſsideat; ipſeq́ alteri communicet quod accepit: hinc etenim per Petrum dicitur, unuſquiſq; prout accepit gratiam in alterutrum illam ad=miniſtrantes; ſicut boni diſpenſatores multiformis gratiæ Dei. Tunc namque multiformis Dei gratia bene diſpenſa=tur, quando acceptum donum ei qui hoc non habet impartitur, & propter eum cui impenditur & communicatur à Deo datum fuiſſe putatur. Hæc ille. Er=go ſi qua ſubeſt querelæ occaſio, illa non à Deo, ſed ab hominum malitia profi=ciſcitur, qui Dei ipſius beneficijs perdi=tiſſimè abutuntur, & non ſolùm quæ communicanda acceperint ſibi inuicē non communicant, ſed mutuis odijs atq; diſſi=dijs furentes alij alios cenſumere moliun=tur: ut uerum ſit quod aiūt hominē homi=

ni lupum

ni lupum eſſe. Itaq; palàm eſt pauperem diuiti non eſſe hominis uice. Sanctior profectò apud Terentium Chremes ille, qui humani nihil à ſe alienũ putabat. Quòd igitur ad hanc inæqualitatem pertinet, dum alij alios putant eſſe feliciores, ſibi quiſq; quod uoluerit perſuadeat: uerùm temerarium eſt ante exitũ de rebus ferre ſententiam. Exitus ipſe & finis acta probabit: nunc quidem unus ridet, alter triſtatur. Hic exultat, alter ingemiſcit. Hi opibus & diuitijs affluunt, alij in magna inopia, magniſq; calamitatibus uerſantur. Quinã autem illorum feliciores ſint, humano iudicio ęſtimari non poteſt. Certè dñi ſaluatoris uoce beatiores pronũciãtur illi qui lugẽt, quiq; calamitates, et paupertatẽ ęquanimiter patiũtur. Pręterea hoc ipſum qđ uidetur in humanis rebus diſcrimẽ, ſi liceat oĩa perſcrutari magnã in ſe cõtrouerſiã, magnãq; reputationis difficultatẽ habet: neq; enim plerique tam beati ſunt, quàm uulgo putantur: ſed

ſæpe hi qui bene fortunati eſſe exiſtimantur, in magnis degunt angoribus. Siquidem ſæpe uſu uenit, ut qui honoribus & diuitijs præpollent, ijdē minus proſpera ualetudine fruantur, uel immenſis curis ac ſolicitudinibus diſcrucientur. Alij quidem uxorum impudicitia, alij inſolentia liberorum, nonnulli infamia propinquorum, uel quorumlibet inuidia, aut concepto aduerſus eos capitali odio, permulti etiam malè partorum conſcientia, alij alijs de cauſis in magna anxietate degunt. Nonnūquam etiam tunc cùm quiete degere, & affluentibus bonis frui incipiunt, repentina morte intercipiūtur. E diuerſo quoq; ei qui opibus caret plerunq; integrum corporis robur Deus largitur. Et ut quidam ait, Ingenio pollet, cui uim natura negauit. Ex quo apparet, ſi hominum ſortes æquo libramine ponderari poſſent, defectis rebus non tantam ſortè, quanta putatur inequalitatem apparituram. Itaq; non inſcitè ab illo cui elegans

& pulchrum erat calciamentum dictum fuiſſe legitur, pulcher quidem calceus eſt, ſed qua in parte me angat prçter me nullus nouit. In Aeſopicis fabulis aſinus ſe miſerum eſſe, equum uerò beatum putabat: quod hic abundanter & accuratè nutriretur, pulcherrimisq; phaleris adornaretur: cùm ipſe neq; ſatis palearum haberet: cotidianisq; inſuper laboribus defatigaretur. Cùm autẽ ſubinde inſtante bellò equum huc illuc calcaribus impulſum ad perfringendã hoſtiũ aciem in medias phalãges cogi, atq; cõpluribus acceptis uulneribus ſauciũ & proſtratum iacere uidiſſet, mutata ſentẽtia illius ſortem miſeram exiſtimauit, & deinceps propriam conditionẽ æquiore animo pertulit: nec diſſimilẽ habet affabulationẽ qđ de aſinis domeſtico & ſilueſtri nõ inſipido figmẽtò recitatur: hic enim ſilueſtris illũ beatum dicebat, q́ ſub tecto ſtabularetur, & cibo domeſtico aleretur: atqui paulopoſt cùm uidiſſet eũ onera ferentẽ, & flagellis grauiter cęſum,

ait. Ego certè non amplius beatum te exiſtimabo: uideo enim nō ſine magnis malis habere te felicitatē. Ergo tametſi iuxta poëticā ſententiam fertilior ſeges alienis ſemper in agris eſſe putetur, plerunque tamē longè aliter habet res. Porrò quod ad hanc, de qua loquimur, inæqualitatem attinet, illius profectò exiſtimatio nequaquam humani iudicij eſt: ut enim rerum natura nuſquam magis tota eſſe dicitur quàm in minimis corporibus: ſic frequentius ea quæ mortalium iudicio contemptibilia, ſordida, prorſusque infelicia uidentur longè aliter diuinæ maieſtatis oculis apparent. Præterea conſtat hæc non uti humanis oculis, uel affectibus magis placent, ſed uti ad æternæ beatitudinis ſcopum aſſequendum maximè accommodata ſunt eſſe expendenda: hoc enim in huiuſce æſtimationis ratiōe præcipuum cenſeri debet. Quid autem cuique ad ſalutem magis neceſſarium & utile ſit, ſolus ipſe nouit, cuius opifi-

cium

cium homo eſt: & quemadmodum pru-
dẽs œconomus atque paterfamilias pro
domeſticarũ perſonarũ uaria conditione
cõmodioreq́ negociorũ expeditiõe mu-
nia partitur, & peragẽda necnõ exercẽda
diſtribuit: ſic cæleſtis ipſe pater prouidẽtię
ſuæ dictamine nõ uno modo talẽta parti-
tur, ſed pro cuiuſq; aptitudine agẽdorũ ra
tionẽ præſcribẽs quod cuiq; magis expe-
dit & cõmodius eſt ſtatuit atq; decernit:
niſi quis eo beneficio ſua culpa ſe reddat
indignum. Iam uerò illud planè ridicu-
lum exiſtimari debet, quòd quidam ple-
rũq; de ſe affirmant ſi opes ipſi aſſequuti
fuiſſent, id ſibi ad ſalutem conducibilius
extitiſſe: quãdoquidẽ, ut eſt apud Chryſo
ſtomũ, ipſi innumera charitatis opera fe-
ciſſent: ſi unde facerent ſibi ſuppeditatum
fuiſſet. At certè longe aliter Deo perſpe
ctũ: aut enim in ſuperbiã elati fuiſſent, aut
auariciæ, uel ingratitudinis uitio non ca-
ruiſſent, fortè etiã deliciarũ illecebris cor-
rupti miſerrimè perijſſent: q; ſi experiẽtia

probarentur, longe alijs, quàm dicăt, moribus apparerĕt. Pariq; ratione hi qui literas non callent affirmare ſolent, ſi ſibi datum eſſet ſcientiæ donum ſe multa hominū milia edocturos: quòd ſi illud adepti eſſent ad maiorem ſuam damnationem hoc illos accepiſſe exitus aliquando teſtaretur: quippe poſt optatorum aſſecutionem, priore abſcedente iudicio noua ſubintrant deſideria: nimium certè hebes & cæca eſt futuris in rebus humana æſtimatio: ideoque ſanctius & tutius eſt æterni parentis prouidentiam pia mente humiliq; propoſito uenerari & adorare, quàm de ea perperā aliquid opinari, uel ſentire: quòd ſi quis altius Dei beneficia uelit cōtemplari, non modò pro acceptis, ſed etiam pro his quæ obeſſe potuiſſent non acceptis, uel fortè ſibi ademptis ſe gratias agere debere exiſtimabit: neque enim ſolùm ægroto tunc bene conſulere intelligitur medicus, quum ſalutaria & profutura exhibet, uerùm etiam

cum

 198

cûm ea quæ noxia ſunt,uel nocere poſ-ſent prohibet, ſecat, remouet,& ab illis ægrotum ipſum arcet. Præterea minime dubium eſt pleraque non tam futuri nocumenti præſcientia,quàm præteritorum meritorum intuitu,uel admiſſarum offenſarum ratione à domino indulgeri,uel auferri;in quo tamen ſemper tum miſericordia,tum etiam iuſtitia,necnon beneficentia creatoris elucet; quanquam ipſi hoc minime intelligamus:hoc enim tãtùm noſſe poſſumus,nobiſq; perſuadere debemus,quòd expenſa ueritate meritis noſtris nihil debetur. Itaq; dum ea quæ pia intentione à nobis geruntur Deus boni conſulit, gratia eſt: & ſi quid nobis illorum contemplatione ipſe largitur, non abſoluto retributionis iudicio, ſed copioſa illius in nos benignitate hoc facere intelligendus eſt: omnes enim iuſtitiæ noſtræ tanquam pannus menſtruatæ in conſpectu eius. At uerò ea quæ ob culpam infligun-

tur

tur ſupplicia iuſtiſſimè profectò nobis de bẽtur, longeq́ maiora quàm infligantur improbitas noſtra mereretur: & reatum ipſum ſtatim poena ſequi deberet, ni pius ipſe & miſericors pater ſeueritatem iuſtitię mira clementia temperaret. Qua ex re liquet nullum prorſus hic eſſe querelæ locum, quin potius omnia cumulatiſſimis gratiarum actionibus reſonare debere. Nemo igitur ob id quòd cauſas operum Dei non intelligit illa calumnietur, aut iniqua eſſe exiſtimet: quod eñ à Deo fit atq́ decernitur, q̃ iuſtũ, quàmq́ bonũ & utile ſit nunc incertum eſt: cùm autem ad finẽ ſuum res ipſæ peruenerint, clariſſimo tũc iudicio reuelatis omnibus ueritas detegetur: & Deum nihil aliter feciſſe quàm facere debuerit clariſſimè apparebit. Rectè igitur illa ſcriptura monet quæ ait, noli iudicare contra iudicem: quoniã ſecundùm quod iuſtũ eſt ille iudicat & arbitratur. Et ut Pſalmographus inquit, ſuauis eſt dominus uniuerſis, & miſerationes eius

ſuper omnia opera eius. Sed heu pudor quòd hæc meditari, cogitare, intelligere nolumus, atque etiam ſæpe ea quæ ſumma beneficia ſunt pudenda iudicij præpoſteratione quàmmaxime deteſtamur: & ubi prona mente gratiæ agendæ eſſent, in prophanas querelas prorumpere non extimeſcimus, illorum profectò ueriſsima eſt ſententia, qui aiunt Deum ab eo quo ipſe hominem plaſmauit tempore nuſquam ceſſaſſe, minimeq́ ceſſare illum gratijs & beneficijs locupletare. Egregiè Chryſoſtomus quòd Deus, inquit, pater omniū dicitur, hoc & inimicitias interimit, & ſuperbiam reprimit, & explodit inuidiam, & introducit charitatem, & humanarum rerum inæqualitatem prorſus expellit, & miram regis cum paupere ęqualitatem honoris oſtendit: ſiquidem in maximis & ad æternam gloriam neceſſarijs rebus omnes ſociamur. Quid igitur noxæ ex terrena ignobilitate

metuendum eſt, quando omnes cœleſti nobilitate cõiunguntur? Cùm autem nullus alio amplius de illo honore poſsideat, neque locuples paupere, neque dominus ſeruo, neque iudex miniſtro, neq; rex milite, neque philoſophus barbaro, neque ſapiens imperito ditior eſt: cunctis enim unam atque eandem nobilitatem donauit Deus cùm dignatus eſt omnium pater uocari. Hæc Chryſoſtomus. Quale, quæſo, & quantum æſtimari congruit beneficium? quanta'ue in omnes liberalitas cenſeri debet, quod Deus in ſolenniſſimo nuptiarum ſuarum conuiuio etiam pauperes, cæcos, claudos, debiles, & deſpectæ conditionis homines inuitauit? cùmq; aditus omnibus reſeratus fuerit in palatium: quænam iuſta ſubeſſe poteſt querelæ materia? Quod ſi cuipiã uiæ aſperitas moleſta uideatur, conſiderare debebit non uni ſibi hanc eſſe præſtitutam, neq; enim cuiuis aſperiorẽ ſaluator uiam indixit, quàm eã qua ipſe progreſſus eſt: nec ille nobis

quàm amicis ſuis duriora imperauit: hac in re ipſe nos cum his in æquo poſuit, quos ſumma dilectione proſequutus eſt. Cur obmurmuramus? nullus ſanctorum procelloſam huius temporis nauigationē abſque tribulationis tempeſtate tranſiuit: omnibus Chriſtus ipſe prædixit & teſtatus eſt arctam eſſe uiam, quæ ducit in cœlum, & illuc pergentibus ærumnas atque preſſuras eſſe tolerandas. Cæterùm ſi cui grauis hęc conditio uideatur: dignum eſt profectò ut audiat quod in Germanicis frequentatur diuerſorijs: Amice, inquiunt, Si hoc diuerſorium non placet, quære tibi aliud. Iam uerò quaslibet inquietarum mentium agitationes ſedare, atque querelam omnem comprimere debet, quòd tametſi hic alij alijs duriora patiantur: nec æquè omnibus omnia eueniant: in futuri tamē iudicij examine nulla perſonarum erit acceptio: ita enim magnum Deus ut paruum iudicaturus eſt; tuncq́ triſtia lætis & læta

triſtibus penſabũtur. Poſtremò ut ęquio re quiſq; uiuat animo, & ad omnia para tior inueniatur: hoc unum omnibus de bet eſſe perſuaſum, cuncta ad profectus noſtri rationem, & ut cuique maximè expedit ab illo ſummo parente diſponi & ordinari: namque, Paulo teſte, unicui que dicitur manifeſtatio ſpiritus ad utili tatem. Sic enim, ut Gregorius ſcribit, crea tor noſter cuncta moderatur, ut cùm per quampiam cuiuis impenſam gra tiam illum eleuat & extollit hunc ipſum alia in re alteri ſubdat: itaque is qui in uno Dei dono inferior eſt, in alio præ eminet: quo fit, ut ille qui nonnullis in rebus alios antecellit, idem ipſe & eos quos in his ſuperat, in pluribus alijs Dei donis & gratijs admiretur, ſeq; illis in feriorem eſſe teſtetur & agnoſcat. Quo circa plerunq; contingit, ut quibus Deus maiora bona præſtat; his quædam mino ra non tribuat: ut ſemper eorũ animus ha beat unde humilietur, & ſe ipſe reprehen

dat:

datːſicq́; per bonū quod ipſe quærit,& ha bere nequit humiliter de ſe ſentiat,& id quod habet utiliter exercere ſtudeat. Hæc Gregorius. Quis igitur, niſi inſipientiſſi- mus, de differētia & inęqualitate diuino- rū munerū conqueratur? & quū laudare & uenerari debeat quod diuinitus fit & agitur, dānabili temeritate Dei iudicia re- darguere prę́ſumat. Prę́clarè theologus quidā inſignis & uir planè diuinus, me- lius, inquit, nouit Deus quid tibi expediat q̄ tu: & de tua ſalute ille magis ſollicitus eſt, q̄ ipſe ſis. Nihil ergo illius diſpoſitiōi præiudicare audeas ſed ſemper cū timore ac reuerētia ora illū: ut quemadmodū ipſe nouit, tibi ſubueniat, & te ea, qua uoluerit uia ad ſe perducat: ergo q̄ nō iuſtā obtre ctandi ſiue obmurmurandi materiā, uel occaſionē habeāt hi, qui de humanarū re- rū inęqualitate, deq́; diuinę prouidētię di ſpēſatiōe cōquerūtur ſatis ex his colligere licet. Vereor ne ultra q̄ deceat uerboſior ſim; ſed tamē nō ingratum tibi futurum

exiſtimo, ſi ad uberiorem eorum quæ ante dicta ſunt confirmationem aliud Chryſoſtomi teſtimonium protulero, qui in hanc, ſi bene memini, ſcribit ſententiam. Sed unde, inquies, ille morbo conſeneſcit, ille uerò in ſanitate perdurat? Vnde illi res ex ſententia prouenit, alij uerò innumera quotidie obſiſtunt impedimenta? A fato remoue animum, & hæc omnia diligēter agnoſces. Crede Deum eſſe qui prouidentia ſua cuncta diſponit, & ſcies iſta apertiſſimè. Inquiramus ergo quis fecerit cœlum, quis terram, quis mare, quis anni tempora, quis denique hec omnia. An uerò ipſe in his qui ſine anima ſunt tantum oſtendit ordinem, tantamq́ congruentiã fecit, in nobis uerò quorum gratia cuncta creauit, tãtum temeritatem ineſſe inſtituit? ueluti ſi quis domum ut ſit præclaro opere atque honeſto mirabilis cautè prouideat: eos uerò qui habitaturi ſint negligat. Quis ſucceſſiõis ſeriem ſeruat? quis naturæ ordinatiſsimas leges im

poſuit? quis diei noctiſq; primũ inſtituit curſum? certe tantus ordo,tam ſolers,tam mirabilis diſpoſitio fortuitu fieri non potuit. Cur igitur, inquies, alij diuites, alij inopes,alij ſani,alij infirmitate laborãtes? Cur Deus iſta permittit? ſanè quia meritorum retributio non eſt huius ſeculi, ſed futuri. Vide quod cùm extra uoluptatis ſenſum in præſentia ſis,caduca tamen iſta bona inquiris:quantò magis ea caperes ſi uoluptate pura ac liquida fruereris? ex his igitur admoneris nihil iſta eſſe,minimeq; exoptanda. Profectò ea quæ ſunt homini optima,ac ſaluti neceſſaria omnibus data ſunt:alia quæ media,non item. Equidem clemẽtiſſimus Deus ſæpe nos per inopiã huiuſmodi rerum à terrenis affectibus ſeparat,ut noſtram ueſaniam prorſus extinguat,utq; humanarum mentium deſiderium ad cœleſtia trãsferat: nos autem nec ſic quidẽ reſipiſcimus:ſicut enim paruulus ſi qd habeat puerile,idq; rebus neceſſarijs pręfert,pater ipſum puerilibus priuat, ut

uel inuitum ad meliora traducat: ita & Deus omnia facit, cunctaq́ molitur, ut uota noſtra atque deſideria ad cœleſtia transferat. Quòd ſi ſciretis ſcripturas, ſi credere uelletis, ac diuinis ſermonibus aures accommodaretis, cuncta hæc probè noſſetis: nã ut diſcas nihil eſſe opes terrenas, aut ſanitatem, aut gloriam: plurimos tibi oſtendere poſſum, qui cũ lucrari poſſent, ea lucra omiſerunt: qui cùm ſani & uegeti eſſent, corpora ſua ſponte macerãt atq; affligunt: qui cùm poſſent gloria affatim perfrui, omnia gerunt, ut hominibus deſpectui ſint. Et rurſus idẽ: Diuinæ inquit, uoluntati cuncta tribuenda ſunt, diuinoq́; conſilio: Ipſe enim Deus nouit quid cuiq; proſit, uel cui quid ſit accõmodum: & ipſe gratiã quæ cõducat unicuiq; diſtribuit: quemadmodum Apoſtolus ad Corinthios ſcribit, Deus poſuit unũ quenq; ſicut uoluit: & unicuiq; datur manifeſtatio ſpiritus ad utilitatem ſecundùm uoluntatem eius: fortaſsis autem uel

propter immundam uitam non plures apud eos gratiæ munus acceperant: aliquando autem pleriq; & uitam habentes mundam non accipiunt quandam gratiam: quare ne in ſuperbiam ſubleuentur, ne inflentur uentoſitate iactantiæ, ne altitudo muneris negligentiores efficiat: ſi enim quādoq; ſine chariſmate ipſa per ſe mundæ uitæ conſcientia arrogantem hominem facit, multò amplius quando ſuper rectam uitam chariſmatis munus aſfuerit: proinde humilibus magis atq; ſimplicibus chariſmata condonantur: maximè uerò ſimplicibus: idcirco ergo Deus conuenienter cuncta diſpenſat: & unus quidem habet facultatem ſermonis ad docendum, alter autem neque os aperire ualet: unicuiq; enim datur manifeſtatio ſpiritus ad utilitatem. Si enim paterfamilias nouit cui negotium qualecunq; committat: multò amplius Deus, qui nouit cunctorum mentes hominum, qui cuncta cognoſcit antequam fiant: unum eſt tãtùm

nobis triſtitia dignum, peccare ſcilicet; aliud uerò nihil. Non ergo dicamus quare hoc? & pro qua cauſa iſtud? quando Deus aliquid diſpenſat atq; diſponit: ſerui namq; ſumus, & ſerui quidem multum diſtantes à domino: neq; quod ante pedes noſtros agitur ſcientes. Non ergo perſcrutemur diuina cōſilia, ſed quod nobis donare dignatus eſt, hoc boni conſulamus: & quicquid obuenerit de diuini muneris largitate, hoc nequaquam parum eſſe iudicemus. Hæc Chryſoſtomus. Igitur bene compoſitæ mentis eſt ſibi perſuadere inæqualem externorum bonorum diſtributionem non iniqua cenſura, ſed ſumma Dei prouidētia eſſe cōſtitutā: ſic enim Deus ſuæ benignitatis exempla quibuſdam confert, & alios per patientiæ uirtutem coronat: ab illius uerò uoluntate ne tantillum quidem diſcrepare debemus, à quo uitam accepimus, ſupremæque hæreditatis participationem fidenter expectamus. Neq; ob id profectò

querulos nos eſſe oportet q̄ diuinę diſpē-
ſatiōis ſecretū ijs in rebus minimè intelligi
mus:nēpe,ut ipſe Chryſoſt.inquit,ij qui
liberos habēt multa ſępe ad illorū utilita-
tē ſtatuunt,quorū & cauſam & modū,fi-
nemq́; optima ratione liberis ipſis patefa-
cere nequaquam congruum arbitrantur.
Ergo quicquid ipſi cupiamus, quicquid
appetamus, quicquid poſtulemus,ſem-
per ipſius æterni parentis,rerumq́; omniū
moderatoris uoluntatem exceptam eſſe
ſubintelligamus, ſemperq́; dicamus,fiat
uoluntas tua: oportet enim Chriſtia-
num hominem omnibus in rebus pa-
ratum eſſe diuinæ cedere uoluntati,nec
in diuerſum niti uelle. Ille quippe pra
uum & diſtortum cor habet, ne-
que inter Dei filios adnumerari de-
bet, qui quod Deus uult ſe nolle te-
ſtatur. Porrò eos qui orant non
ſuos ſequi affectus, ſed in ſpiritu &
ueritate orare decet: ille autem non
orat in ſpiritu & ueritate, qui aliquid

abſolutè petens uoluntatem ſuam diuinę diſpoſitioni non cõmittit: neceſſe eſt ergo in omni re quam uel cupimus, uel à Deo obtinere contendimus totum diuino arbitrio committere, atq; uti ſacratioris philoſophię magiſtri pręcipiunt, actu, habitu, uel uirtute hoc ſentire; nec ultrà uel citrà quicquam præſumere. Quocirca Regiũ prophetam hunc in modum locutũ fuiſſe legimus. Si inuenero, inquit, gratiam in oculis domini, reducet me, & oſtẽdet mihi tabernaculum ſuum: ſi autem dixerit, mihi nõ places: paratus ſum, faciat quod bonum eſt coram ſe. Sed & Ionathæ filium uerba hæc protuliſſe diuinæ literæ perhibent. Quid habeo iuſtæ querelæ, aut quid poſſum ultra uociferari ad regẽ: neq; enim fuit domus patris mei niſi morti obnoxia, tu domine mi Rex fac quod placitum eſt tibi. Sic itaq; ad ſuperni Regis arbitrium deſideria noſtra referentes, uberiorem gratiam promerebimur, idq; nobis utilius fuiſſe aliquando intelligemus.

mus. Qua de re nõ inſcitè Socrates prodidit, Neq; opes, neq; uires corporis, neq; cætera eiuſmodi à ſuperis eſſe ambiẽda, uel poſtulanda: ſed hoc tantùm ab ijs rogandum, ut bona tribuerent. Equidẽ ſæpè nos non ſecus quàm qui ægrotant ſaluti noſtrę contraria petimus: & humana mens plerunq; ſibi noxia quærit. Quid ſibi utile ſit nouit nemo, niſi qui uoluntatẽ ſuam Dei uoluntati committit. Quàm pulchrè ille conſulit qui ait, uis bene duci: certo te cõmitte duci: Deus aũt ipſeeſt qui ducit, qui hortatur qui monet, q̃ adiuuat, qui pręmia pollicetur. Quid autẽ, ut ait Hieronymus, tam ſuperbum, tamq; ingratum eſt, quàm contra illius niti uoluntatem, à quo ipſum uiuere acceperis, uel illius decretis aduerſari, qui non alia de cauſa quicquam nobis ingerit, quàm ut ipſe cauſas habeat remunerandi. Dicamus igitur cũ Cleante, Duc me ſumme parẽs celſi dominator olympi Quocunque placet nulla parẽdi mora eſt, aſſum impiger.

Chryſo.

Chry. Faueãt ſuperi. Aequiore certè poſt hac animo uiuam, deinceps non ut hacte‐nus cupiditatibus inſeruiam, nõ amplius querelis inſiſtam, omnia boni conſulam: & quancunq; Deus præſtiterit ſortem, placida mente excipiam. Thau. Ita profe ctò ditaberis. Quòd ſi & alterum mini‐mè quidem alcumiſticum ditandi modũ ſcire cupis, Biſantinum illum epiſcopum aureorum uerborum artificem conſulas, ab eo nempe audies: Vis ditari, amicum habeto Deum, & omniũ ditiſſimus eris. Chry. Digna eſt, ita me Deus amet, tan‐to preſule ſententia: bene res habet: ualeãt curæ, ſolicitudines, anxietatesq;, iamiam cum Hebreo rege canere incipiam, Mihi autem adherere Deo bonũ eſt, & ponere in domino ſpem meam. Thau. Feliciter.

Finit perutilis Tractatus de ratione qua quis uerè diues eſſe poſſit, Au‐tho. reuerend. Patr. D. Aimar. Falc. Thau.

AD LECTOREM Tetraſtichum.

Ditari fidis opibus ne reſpue lector,
　Quas emptus modico pādet hic ære liber.
Doctrina diues varia pius Aimarus offert
　Quæ mentē ditent hæc monumenta tuam.

LVGDVNI
Excudebat Mathias Bonhomme.
1 5 4 2.

BIBLIOTECA NAZ.
ROMA
VITTORIO EMANUELE